PROPOSITIO XII.

Esto circulus A B C, *diametro* A C, *cui ad angulos rectos sit* F G; *huic vero occurrat à termino diametri* A *educta* A F *extra circulum, quæ quidem necessario secabit circumferentiam, puta in* B. *Dico arcum* B D, *lineis* G F, A F *interceptum, minorem esse recta* D F.

Iungatur enim B C, & ducatur ex B puncto tangens circumfe-



rentiam recta B E, quæ necessario occurret rectæ F G inter F & D. Est igitur angulus B A C in circulo æqualis angulo E B C*. quare & angulus F B E, qui una cum E B C constituit angulum rectum F B C, erit æqualis B C A. Quia autem similia sunt triangula A B C, A G F, erit & angulus F æqualis angulo A C B. Ergo idem angulus F æqualis angulo F B E. Itaque isosceles est triangulus F E B, habens crura æqualia F E, E B. Addita ergo utrique eorum recta E D, fiet F D, æqualis duabus B E, E D. Hasce vero duas majores esse constat arcu B D, iisdem terminis intercepto, & in eandem partem cavo. Ergo & F D eodem arcu B D major erit: quare constat propositum.

PROPOSITIO XIII.

Isdem positis, si recta A B *occurrat ipsi* D G *intra circulum; Dico arcum* B D, *rectis* G D, A B *interceptum, majorem esse recta* D F.

Iungatur enim D C & ducatur arcui D B subtensa D B. Quoniam ergo angulus A B D æqualis A C D, hoc est, angulo A D G; angulus autem D F B major angulo A D F, sive A D G; erit idem D F B etiam major D B F. Ergo in triangulo D F B latus D B



majus latere D F; unde multo magis arcus D B ſuperabit eandem D F. Quare conſtat propoſitum.

PROPOSITIO XIV.

Sit cyclois A B C *cujus baſis* A C *axis* B D. *Quomodo autem generetur ex definitione & deſcriptione mechanica ſuperius traditis ſatis manifeſtum arbitror. Et circa axem* B D, *circulus deſcriptus ſit* B G D, *& à quolibet puncto* E *in cycloide ſumpto agatur* E F *baſi* A C *parallela, quæ occurrat axi* B D *in* F, *ſecetque circumferentiam* B G D *in* G, *Dico rectam* G E *arcui* G B *æqualem eſſe.*



Deſcribatur enim per E punctum circulus L E K ipſi B G D æqualis, quique tangat baſin cycloidis in K, & ducatur diameter K L. Eſt igitur recta A K arcui E K æqualis; ſed tota A D æqualis ſemicircumferentiæ K E L; ergo K D æqualis arcui E L ſive G B. Eſt autem K D ſive N F æqualis E G, quoniam E N æqualis G F, & communis utrique N G. Ergo conſtat & G E æqualem eſſe arcui G B.

PROPOSITIO XV.

Dato in Cycloide puncto, rectam per illud ducere quæ Cycloidem tangat.

Sit cyclois A B C, & punctum in ea datum B, per quod tangentem ducere oporteat.

Circa axem cycloidis A D describatur circulus genitor A E D, & ducatur B E parallela basi cycloidis, quæ dicto circulo occurrat in E, & jungatur A E, cui denique parallela per B agatur H B N. Dico hanc cycloidem in B contingere.

Sumatur enim in ea punctum quodlibet, à B diversum, ac primo versus superiora velut H, & per H ducatur recta basi cycloidis parallela, quæ occurrat cycloidi in L, circulo A E D in K, rectæ A E in M. Quia ergo K L est æqualis arcui K A, recta autem K M minor arcu K E, erit recta M L minor arcu A E, hoc est, rectâ E B, sive M H; unde apparet punctum H esse extra cycloidem.



Deinde in recta H N sumatur punctum N inferius B, & per N agatur, ut ante, basi parallela, quæ occurrat cycloidi in Q, circulo A E D in O, rectæ A E productæ in P. Quia ergo O Q æqualis est arcui O A; O P autem major arcu O E; erit P Q minor arcu E A, hoc est, rectâ E B, sive P N. Vnde apparet rursus punctum N esse extra cycloidem. Cum igitur quodlibet punctum præter B, in recta H B N sumptum, sit extra cycloidem, constat illam in puncto B cycloidem contingere; quod erat demonstrandum.

Huic demonstrationi an locum suum hic relinquerem dubitavi, quod non multum ei absimilem à clarissimo VVrennio editam inveniam in libro VVallisij de Cycloide. Potest autem & universali constructione propositum absolvi, quæ non cycloidi tantum sed & aliis curvis, ex cujuslibet figuræ circumvolutione genitis, conveniat; dummodo sit figura in eandem partem cava, & ex iis quæ geometricæ vocantur.

DE DESCENSU GRAVIUM.

Sit enim curva N A B, orta ex circumvolutione figuræ O L ſuper regula L D; deſcribente nempe puncto N, in circumferentia figuræ O L ſumpto. Et oporteat ad punctum curvæ A tangente ducere. Ducatur recta C A à puncto C, ubi figura regulam tangebat cum punctum deſcribens eſſet in A: quod punctum contactus ſemper inveniri poteſt, ſiquidem eo reducitur problema ut duæ rectæ inter ſe parallelæ ducendæ ſint, quarum altera tranſeat per punctum deſcribens in figuræ ambitu datum, altera figuram tangat, quæque inter ſe diſtent quantum diſtat punctum datum A ab regula L D: dico ipſam C A occurrere curvæ ad angulos rectos, ſive circumferentiam M A F deſcriptam centro C radio C A, tangere curvam in puncto A, unde perpendicularis ad A C per punctum A ducta curvam ibidem continget.



Ducatur enim C B primum ad punctum curvæ B, quod diſtet ultra punctum A ab regula L D, intelligaturque figuræ poſitus in B E D, cum punctum deſcribens eſſet in B, contactus regulæ in D. & punctum curvæ quod erat in C, cum punctum deſcribens eſſet in A, hic jam ſublatum ſit in E; & jungantur E C, E B, tangatque figuram in E recta K H, occurrens regulæ in H.

Quia ergo recta C D æqualis eſt curvæ E D; eadem vero curva major eſt utraque ſimul E H, H D; erit E H major quam C H. Vnde angulus E C H major quam C E H, & proinde E C L minor quam C E K. Atqui addendo angulum K E B, qui æqualis eſt L C A, ad K E C, fit angulus C E B: & auferendo ab E C L angulum L C B, fit E C B. Ergo angulus C E B major omnino angulo E C B. Itaque in triangulo C E B, latus C B majus erit quam E B. ſed E B æquale patet eſſe C A, cum ſit idemmet ipſum unà cum figura tranſpoſi-

tum.

tum. Ergo C B etiam major quam C A, hoc eſt, quam C F. unde conſtat punctum B eſſe extra circumferentiam M A F.

Sit rurſus punctum N in curva ſumptum inter regulam L D & punctum A. Cumque punctum deſcribens eſſet in N, ponatur ſitus figuræ fuiſſe in V L, punctumque contactus L, punctum verò quod tangebat prius regulam in C, ſit jam ſublatum in V: & jungantur C N, N V, V C, V L. Erit ergo V N æqualis C A; imo erit ipſa C A tranſlata in V N. Iam quia recta L C æquatur curvæ L V, ac proinde major eſt recta L V, erit in triangulo C L V angulus L V C major quam L C V. Quare addito inſuper angulo L V N ad L V C, fiet totus N V C major utique quam L C V, ac proinde omnino major angulo N C V, qui pars eſt L C V. Ergo in triangulo C V N latus C N majus erit latere V N, cui æquatur C A, ideoque C N major quoque quam C A, hoc eſt quam C M. Vnde apparet punctum N cadere extra circulum M A F, qui proinde tanget curvam in puncto A. quod erat demonſtrandum.

Eſt autem eadem quoque tum conſtructio tum demonſtratio, ſi curva genita ſit à puncto deſcribente, vel intra vel extra ambitum figuræ circumvolutæ ſumpto. Niſi quod, hoc poſteriori caſu, pars quædam curvæ infra regulam deſcendit, unde nonnulla in demonſtratione oritur diverſitas.

Sit enim punctum A, per quod tangens ducenda eſt, datum in



parte curvæ N A B, quæ infra regulam C L deſcendit, deſcripta nimirum à puncto N extra figuram revolutam ſumpto, ſed certam

DE DESCENSU GRAVIUM.

positionem in eodem ipsius plano habente. Invento igitur puncto C, ubi figura revoluta tangit regulam C D quum punctum describens esset in A, ducatur recta C A. Dico hanc curvæ N A B occurrere ad rectos angulos, sive circumferentiam radio C A centro C descriptam tangere curvam N A B in puncto A. Ostendetur autem exterius ipsam contingere, cum in curvæ parte supra regulam C D posita interius contingat.

Positis enim & descriptis iisdem omnibus quæ prius, ostenditur rursus angulus E C H major quam C E H. atqui ad E C H addito H C B fit angulus E C B; & à C E H auferendo H E B, qui æqualis est D C A, fit angulus C E B. Ergo E C B major omnino quam C E B. unde in triangulo E C B latus E B majus quam C B. sed ipsi E B æqualis est C A, sive C F. Ergo & C F major quam C B: ideoque punctum circumferentiæ F est ultra curvam N A B à centro remotum.

Item rursus ostenditur angulus L V C major L C V. Quare C V P, qui cum L V C duos rectos æquat, minor erit quam V C D. Atqui addendo ad V C D angulam D C N, fit V C N; & auferendo ab C V P angulum P V N, fit C V N. Ergo angulus V C N omnino major quam C V N. In triangulo itaque C V N, latus V N majus erit quam C N. Est autem ipsi V N æqualis C A sive C M. Ergo & C M major quam C N, ideoque punctum circumferentiæ M erit ultra curvam N A B à centro C remotum. Itaque constat circumferentiam M A F tangere curvam in puncto A. quod erat demonstrandum.

Quod si punctum curvæ per quod tangens ducenda est, sit illud ipsum ubi regula curvam secat, erit tangens quæsita semper regulæ perpendicularis; ut facile esset ostendere.

PROPOSITIO XVI.

DE MOTU IN CYCLOIDE.

SI circuli circumferentiam, cujus centrum E, *secent rectæ duæ parallelæ* A F, B G, *quarum utraque ad eandem partem centri transeat, vel altera* A F *per centrum ipsum: & à puncto* A, *quo centro propior circumferentiam secat, ducatur recta ipsam contingens: dico partem hujus* A B, *à parallela utraque interceptam, minorem esse arcu* A C, *ab utraque eadem parallela intercepto.*

Ducatur enim arcui A C subtensa recta A C. Quia ergo angulus B A F est æqualis ei quem capit portio circuli A H F, quæ vel major est semicirculo vel semicirculus, erit proinde angulus B A F, vel minor recto vel rectus; ideoque angulus A B C vel major recto vel rectus. Quare in triangulo A B C latus A C, angulo B subtensum, majus erit latere A B. sed idem latus A C minus est arcu A C. Ergo omnino & A B arcu A C minor erit. DE MOTU IN CYCLOIDE.



PROPOSITIO XVII.

Iisdem positis, si tertia recta prioribus parallela D K, *circulum secuerit, quæ ab ea quæ centro propior est* A F, *tantumdem distet quantum hæc à reliqua* B G: *dico partem tangentis in* A, *à parallela ultimo adjecta, & media interceptam, nempe* A D, *arcu* A C *à primis duabus parallelis intercepto minorem esse.*

Hoc enim patet quum A D ipsi A B æqualis sit, quam antea ostendimus arcu A C minorem esse.



PROPOSITIO XVIII.

SI circulum, cujus centrum E, *duæ rectæ parallelæ secuerint* A F, B G; *& à puncto* B, *ubi quæ à centro remotior est, vel tantundem atque altera distat, circumferentiæ oc-*

currit, ducatur recta circumferentiam tangens: erit pars hujus B A, *à parallelis intercepta, major arcu ab iiſdem parallelis intercepto* B C.

Ducatur enim in puncto C, recta M C L circumferentiam tangens, quæ occurrat tangenti B A in L. In triangulo igitur A C L,



angulus C æqualis eſt angulo M C F, hoc eſt, ei quem capit portio circuli C B F. angulus autem A æquatur angulo quem capit portio circuli B C G, quæ portio quum ſit major vel æqualis portioni C B F, quippe quum B G vel ulterius diſtet à centro quam C F, vel tantundem: erit proinde trianguli A C L angulus A minor vel æqualis angulo C: & conſequenter latus C L vel minus vel æquale lateri A L. Atqui C L una cum L B majores ſunt arcu C B. Ergo & A L. una cum L B, hoc eſt, tangens A B, eodem arcu C B major erit. quod erat demonſtrandum.

PROPOSITIO XIX.

I*Iſdem poſitis, ſi tertia recta prioribus parallela* D K *circulum ſecet, quæ tantundem diſtet ab ea quæ remotior eſt à*



centro quantum hæc à reliqua A F: *Erit pars tangentis in* B, *à parallela media, & ultimo addita* D K, *intercepta, nimirum* B D, *major arcu* B C. De motu in Cycloide.

Hoc enim manifeſtum eſt cum B D fiat ipſi B A æqualis, quam oſtendimus arcu B C majorem eſſe.

PROPOSITIO XX.

SI arcus circuli, ſemicircumferentia minor, A B, *in partes quotlibet ſecetur lineis rectis parallelis, quæ & inter ſe, & cum rectis ſibi parallelis per terminos arcus ductis, æqualia intervalla conſtituant, quales ſunt* C D, E F, G H, K L *&c. ducanturque ad terminum arcus alterutrum* A, *&) ad reliqua omnia ſectionum puncta rectæ circumferentiam tangentes, omnes in eandem partem, & ut unaquæque occurrat proximæ dictarum parallelarum; cujuſmodi ſunt tangentes* A C, D E, F G, H K *&c. Dico has tangentes, dempta prima* A C, *ſimul ſumptas, minores eſſe arcu propoſito* A B. *Eaſdem vero omnes, non omiſſa* A C, *majores eſſe arcu* A B *diminuto parte extrema* N B, *hoc eſt, majores arcu* A N.



Ponamus enim primo parallelarum aliquas tranſire ab utraque parte centri Z, & ſit G H, earum quæ ſunt à parte B, centro proxima, vel per ipſum centrum tranſeat. Itaque tangentes omnes inter G H & B O comprehenſæ, ut H K, L M, N O, ſingulæ ſuis arcubus minores ſunt *. Porro autem & tangens G F, arcu ſequente F D minor eſt *, & ſimiliter tangens E D arcu D A. Itaque tangentes omnes inter B O & C D interjectæ, minores ſunt arcubus B H & F A, ac proinde omnino minores arcubus B H, H A, ſive arcu B A, quod erat primo oſtendendum. *Prop. 16. huj. *Prop. 17. huj.

Porro jam demonſtrabimus tangentes omnes inter B O & A majores eſſe arcu A N. Enimvero parallela G H, vel propius centrum Z tranſit quam parallela E F, quam pono proximam eſſe

De motu in Cycloide.

earum quæ à parte A transeunt, vel erit remotior, vel æque distabit.

Quod si E F longius à centro vel æque remota est ac G H, erit tangens F G major arcu suo F H, & reliquæ tangentes versus A, nimirum E D, C A majores singulæ arcubus suis *; adeo ut omnes simul G F, E D, C A majores sint arcu H A. sed & arcu H L major erit tangens L M *, & arcu L N tangens N O; itaque tangentes omnes, præter H K, majores simul erunt arcu A N; multoque magis, accedente ipsa H K, tangentes omnes inter A & B comprehensæ arcu eodem A N majores erunt.

* Prop.18. huj.

* Prop.19. huj.

Si vero G H à centro longius distat quam E F, erit tangens K H major arcu H F *, & tangens M L ut ante major arcu L H, & tangens O N major arcu N L, & omnes proinde tangentes O N, M L, K H majores arcu N F. Sed & tangens E D major est arcu suo F D *, & tangens C A major similiter arcu suo D A. Itaque tangentes omnes inter B O & A, præter G F, majores erunt arcu N A; multoque magis tangentes eædem, accedente G F, hoc est, omnes quæ inter B O & A interjiciuntur, eodem arcu N A majores erunt.

* Prop.19. huj.

* Prop.18. huj.

Ex his vero etiam demonstratio manifesta est in casibus aliis, qualiscunque semicircumferentiæ arcus accipiatur, quippe cum vel eadem sit ubique, vel pars tantum præcedentis demonstrationis.

PROPOSITIO XXI.

SI mobile descendat continuato motu per qualibet plana inclinata contigua, ac rursus ex pari altitudine descendat per plana totidem contigua, ita comparata ut singula altitudine respondeant singulis priorum planorum, sed majori quam illa sint inclinatione. Dico tempus descensus per minus inclinata, brevius esse tempore descensus per magis inclinata.

Sint series duæ planorum inter easdem parallelas horizontales comprehensæ A B C D E, F G H K L, atque ita ut bina quæque sibi correspondentia plana utriusque seriei iisdem parallelis horizontalibus includantur; unumquodque vero seriei F G H K H magis inclinatum sit ad horizontem quam planum sibi altitudine respondens seriei A B C D E. Dico breviori tempore absolvi descensum per A B C D E, quam per F G H K L.

Nam primo quidem tempus descensus per A B, brevius esse constat tempore descensus per F G, quum sit eadem ratio horum temporum quæ rectarum A B ad F G*, sitque A B minor quam F G, propter minorem inclinationem. Producantur jam sursum rectæ C B, H G, occurrantque horizontali A F in M & N. Itaque tempus per B C post A B, æquale est tempori per eandem B C post M B,

* Prop. 7. huj.



cum in puncto B eadem celeritas contingat, sive per A B, sive per M B descendenti*. similiterque tempus per G H post F G, æquale erit tempori per eandem G H post N G. Est autem tempus per B C post M B ad tempus per G H post N G, ut B C ad G H longitudine, sive ut C M ad H N, cum hanc rationem habeant & tempora per totas M C, N H, & per partes M B, N G*, ideoque etiam tempora reliqua. Estque B C, minor quam G H propter minorem inclinationem. Patet igitur tempus per B C post M B sive post A B, brevius esse tempore per G H post N G sive post F G.

* Prop. 6. huj.

* Prop. 7. huj.

Similiter ostendetur, productis D C, K H sursum, donec occurrant horizontali A F in O & P, tempus per C D post A B C, sive post O C, brevius esse tempore per H K post F G H sive post P H. Ac denique tempus per D E post A B C D, brevius esse tempore per K L post F G H K. Quare totum tempus descensus per A B C D E, brevius erit tempore per F G H K L. quod erat demonstrandum.

Hinc vero manifestum est, considerando curvas lineas tanquam ex innumeris rectis compositas, si fuerint duæ superficies, secundum lineas curvas ejusdem altitudinis inclinatæ, quarum in punctis quibuslibet æque altis major semper sit inclinatio unius quam reliquæ, etiam tempore breviori per minus inclinatam grave descensurum quam per magis inclinatam.

Velut si sint duæ superficies inclinatæ secundum curvas A B, C D, æqualis altitudinis, quarumque in punctis æque altis quibuslibet E, F, major sit inclinatio ipsius C D quam A B, hoc est, ut recta tangens curvam C D in F, magis inclinata sit ad horizontem, quam quæ curvam A B tangit in puncto E. erit tempus descensus per A B brevius quam per C D.



Idemque continget si altera linearum rectæ fuerit: dummodo inclinatio rectæ, quæ ubique est eadem, major minorve fuerit inclinatione curvæ in quolibet sui puncto.

PROPOSITIO XXII.

SI in Cycloide cujus axis ad perpendiculum erectus stat, vertice deorsum spectante, duæ portiones curvæ æqualis altitudinis accipiantur, sed quarum altera propior sit vertici; erit tempus descensus per superiorem, brevius tempore per inferiorem.



Sit Cyclois A B, cujus axis A C ad perpendiculum erectus, vertex A deorsum spectet; & accipiantur in ea portiones B D & E F, æqualis altitudinis, hoc est, ejusmodi ut parallelæ horizontales B C, D H, quæ superiorem portionem B D includunt, æque inter

se

ſe diſtent ac E G, F K, inferiorem portionem E F includentes. Dico tempus deſcenſus per curvam B D brevius fore tempore per E F.

Sumatur enim in B D punctum quodlibet L, & in E F punctum M, ita ut eadem ſit altitudo E ſupra M quæ B ſupra L. Et deſcripto ſuper axe A C ſemicirculo, occurrant ei rectæ horizontales L N, M O, in N & O, & jungantur N A, O A. Itaque quum punctum N ſit altius puncto O, manifeſtum eſt rectam N A minus ad horizontem inclinari quam O A. Eſt autem ipſi N A parallela tangens curvæ in L puncto*, & ipſi O A parallela tangens curvæ in M. *Prop. 15. huj. Ergo curva B D in puncto L minus inclinata eſt quam curva E F in puncto M. Quod ſi igitur portio E F, invariata inclinatione, altius extolli intelligatur velut in *e f*, ita ut inter eaſdem parallelas cum portione B D comprehendatur, invenietur punctum M in *m*, æquali altitudine cum puncto L. eritque etiam inclinatio curvæ *e f* in puncto *m*, quæ eadem eſt inclinationi curvæ E F in M, major inclinatione curvæ B D in L. Similiter vero, & in quolibet alio puncto curvæ *e f*, major oſtendetur inclinatio quam curvæ B D in puncto æque alto. Itaque tempus deſcenſus per B D brevius erit tempore per *e f**, ſive, quod idem eſt, per E F. quod erat demonſtrandum. *Prop præced.

LEMMA.

Esto circulus diametro A C, *quem ſecet ad angulos rectos* D E, *& à termino diametri* A *educta recta* A B *occurrat circumferentiæ in* B, *ipſi vero* D E *in* F. *Dico tres haſce*, A B, A D, A F, *proportionales eſſe.*



Sit enim primo interſectio F intra circulum; & arcui B D recta ſubtenſa ducatur. Quia igitur arcus æquales ſunt A E, A D, erunt anguli ad circumferentiam ipſis inſiſtentes, E D A, A B D æquales. Itaque in triangulis A B D, A D F, æquales anguli A B D, A D F. Communis autem utrique est angulus ad A. Ergo dicti trianguli similes erunt, ideoque B A ad A D ut A D ad A F.

Sit jam punctum intersectionis *f* extra circulum, & ducatur *b* H parallela D E, quæ occurrat rectæ A D in H. Itaque secundum jam demonstrata erit ut D A ad A *b*, ita A *b* ad A H, hoc est, ita A *f* ad A D: Ideoque rursus proportionales erunt A *f*, A D, A *b*. Quare constat propositum.

PROPOSITIO XXIII.

Sit Cyclois A B C, *cujus vertex* A *deorsum conversus sit, axe* A D *ad perpendiculum erecto; sumptoque in ea quolibet puncto* B, *ducatur inde deorsum recta* B I *quæ Cycloidem tangat, termineturque recta horizontali* A I. *recta vero* B F *ad axem perpendicularis agatur, & divisa bifariam* F A *in* X, *super ea describatur semicirculus* F H A. *Ducta deinde per punctum quodlibet* G *in curva* B A *sumptum, recta* Σ G *parallela* B F, *quæ circumferentiæ* F H A *occurrat in* H, *axi* A D *in* Σ, *intelligantur per puncta* G & H *rectæ tangentes utriusque curvæ, earumque tangentium partes iisdem duabus horizontalibus* M S, N T *interceptæ sint* M N, S T. *Iisdemque rectis* M S, N T *includantur tangentis* B I *pars* O P, & *axis* D A *pars* Q R.

Quibus ita se habentibus, dico tempus quo grave percurret rectam M N, *celeritate æquabili quanta acquiritur descendendo per arcum Cycloidis* B G, *fore ad tempus quo percurretur recta* O P, *celeritate æquabili dimidia ejus quæ acquiritur descendendo per totam tangentem* B I, *sicut est tangens* S T *ad partem axis* Q R.

Describatur enim super axe A D semicirculus D V A secans rectam B F in V, & Σ G in Φ, & jungatur A V secans rectas O Q, P R, G Σ in E K & Λ. Iungantur item H F, H A, H X & A Φ; quæ postrema secet rectas O Q, P R in punctis Δ & Π.

Habet ergo dictum tempus per M N ad tempus per O P, rationem eam quæ componitur ex ratione ipsarum linearum M N ad O P, & ex ratione celeritatum quibus ipsæ percurruntur, contrarie sumpta*, hoc est, & ex ratione dimidiæ celeritatis ex B I sive ex F A, ad celeritatem ex B G, sive ex F Σ*. Atqui tota celeritas ex

*Prop. 5. Galil. de motu æquab.
*Prop. 8. huj.

F A ad celeritatem ex F Σ, eſt in ſubduplicata ratione longitudinum F A ad F Σ*, ac proinde eadem quæ F A ad F H. Ergo dimidia celeritas ex F A ad celeritatem ex F Σ erit ut F X ad F H. Itaque tempus dictum per M N ad tempus per O P habebit rationem compoſitam ex rationibus M N, ad O P, & F X ad F H. Harum vero prior ratio, nempe M N ad O P, eadem oſtendetur quæ F H ad H Σ. De motu in Cycloide. * Prop. 3. huj.



Eſt enim tangens Cycloidis B I parallela rectæ V A, ſimiliterque tangens M G N parallela rectæ Φ A; ac proinde recta M N æqualis Δ Π, & O P æqualis E K. Ergo dicta ratio rectæ M N ad O P eadem eſt quæ Δ Π ad E K; hoc eſt, Δ A ad E A; hoc eſt, Φ A ad Λ A; hoc eſt V A ad Φ A*. Eſt autem ut V A ad A Φ ita F A ad A H; nam quia quadratum V A æquale eſt rectangulo D A F, & quadratum A Φ æquale rectangulo D A Σ, quæ rectangula ſunt inter ſe ut F A ad Σ A, hoc eſt ut quadratum F A ad quadratum A H, erit proinde & quadratum V A ad quadratum Φ A ut quadratum F A ad quadratum A H; atque etiam V A ad A Φ longitudine, ut F A ad A H. Ratio itaque M N ad O P, eadem erit quæ F A ad A H, hoc eſt, propter triangula ſimilia F A H, F H Σ, eadem quæ F H ad H Σ, ut dictum fuit. Itaque dicta ratio temporis per M N ad tempus per O P, componitur ex rationibus F X ad F H & F H ad H Σ, ideoque eadem erit quæ F X ſive X H ad H Σ. Sicut autem radius X H ad H Σ, ita eſt tangens S T ad rectam Q R; hoc enim facile perſpicitur. Igitur tempus motus qualem diximus per M N, ad tempus per O P conſtat eſſe ſicut S T ad Q R. quod erat demonſtrandum. * Lemma præced.

PROPOSITIO XXIV.

Sit rursus ut in præcedenti propositione Cyclois A B C, *cujus vertex* A *deorsum spectet, axis* A D *ad horizontem erectus sit; & sumpto in ea quovis puncto* B, *ducatur inde deorsum recta* B Θ *quæ Cycloidem tangat, occurratque rectæ horizontali* A Θ *in* Θ: *recta vero* B F *ad axem perpendicularis agatur, & super* F A *describatur semicirculus* F H A. *Deinde alia recta* G E, *parallela* F B, *secet Cycloidem in* E, *rectam* B Θ *in* I, *circumferentiam* F H A *in* H, *& denique axem* D A *in* G.

Dico tempus descensus per arcum Cycloidis B E, *esse ad tempus per tangentem* B I *cum celeritate dimidia ex* B Θ, *sicut arcus* F H *ad rectam* F G.

Si enim hoc verum non est, habebit tempus per arcum B E ad dictum tempus per B I, vel majorem rationem quam arcus F H ad rectam F G vel minorem. Habeat primo, si fieri potest, majorem.



Itaque tempus aliquod brevius tempore per B E (sit hoc tempus Z) erit ad dictum tempus per B I ut arcus F H ad rectam F G. Quod si jam in Cycloide supra punctum B sumatur punctum aliud N, erit tempus per B E post N B, brevius tempore per B E. Manifestum est autem punctum N tam propinquum sumi posse ipsi B, ut differentia eorum temporum sit quamlibet exigua, ac proinde ut minor sit ea qua tempus Z superatur à tempore per B E. Sit itaque punctum N ita sumptum. unde quidem tempus per B E post N B majus erit tempore Z, majoremque proinde rationem habebit ad tempus dictum per B I cum dimidia celeritate ex B Θ, quam arcus F H ad rectam F G. Habeat itaque eam quam arcus F H O ad rectam F G.

De motu in Cycloide.

Dividatur F G in partes æquales F P, P Q, &c. quarum unaquæque minor sit altitudine lineæ N B, atque item altitudine arcus H O; hoc enim fieri posse manifestum est; & à punctis divisionum agantur rectæ, basi D C parallelæ, & ad tangentem B Θ terminatæ P Λ, Q Ξ, &c. Quibusque in punctis hæ secant circumferentiam F H, ab iis, itemque à puncto H, tangentes sursum ducantur usque ad proximam quæque parallelam, velut Δ X, Γ Σ &c. Similiter vero & à punctis, in quibus dictæ parallelæ Cycloidi occurrunt, tangentes sursum ducantur velut S V, T M &c. additâ vero ad rectam F G parte una G R æquali iis quæ ex divisione, ductâque R Φ parallelâ similiter ipsi D C, patet eam occurrere circumferentiæ F H A inter H & O, quia G R minor est altitudine puncti H supra O. Iam vero sic porro argumentabimur.

Tempus per tangentem V S cum celeritate æquabili quæ acquireretur ex B S, majus est tempore motus continue accelerati per arcum B S post N B. Nam celeritas ex B S minor est celeritate ex N B, propterea quod minor altitudo B S quam N B. At celeritas ex B S æquabiliter continuari ponitur per tangentem V S, cum celeritas acquisita ex N B continue porro acceleretur per arcum B S, qui arcus minor insuper est tangente V S, omnibusque partibus suis magis erectus quam ulla pars tangentis V S. Adeo ut omnino majus sit futurum tempus per tangentem V S cum celeritate ex B S, tempore per arcum B S post N B. Similiter tempus per tangentem M T, cum celeritate ex B T, majus erit tempore per arcum S T post N S, & tempus per tangentem Π Y cum celeritate ex B Y, majus tempore per arcum T Y post N T. Atque ita tempora motuum æquabilium per tangentes omnes usque ad infimam quæ tangit cycloidem in E, cum celeritatibus per singulas quantæ acquiruntur cadendo ex B adusque punctum ipsarum contactus, majora simul erunt tempore per arcum B E post N B. Eadem vero & minora essent, ut nunc ostendemus.

Considerentur enim denuo tempora eadem motuum æquabilium per tangentes cycloidis. Et est quidem tempus per tangentem V S cum celeritate ex B S, ad tempus per rectam B Λ cum celeritate dimidia ex F Λ, ut tangens circumferentiæ Δ X ad partem

De motu in Cycloide.

* Prop. praeced.

axis F P*. Similiterque tempus per tangentem M T, cum celeritate ex B T, ad tempus per rectam Α Ξ cum eadem dimidia celeritate ex F A, ut tangens Γ Σ ad rectam P Q. Atque ita deinceps singula tempora per tangentes cycloidis, quæ sunt eadem supradictis, erunt ad tempora motus æquabilis per partes sibi respondentes rectæ B I cum celeritate dimidia ex B Θ, sicut tangentes circumferentiæ F H, iisdem parallelis comprehensæ, ad partes rectæ F G ipsis respondentes.

Sunt igitur quantitates quædam rectæ F P, P Q, &c. & totidem aliæ, tempora scilicet quibus percurruntur rectæ B Α, Α Ξ &c, motu æquabili cum celeritate dimidia ex B Θ; Et unaquæque quantitas in prioribus ad sequentem eadem proportione refertur, qua unaquæque posteriorum ad suam sequentem; sunt enim utrobique inter se æquales. Quibus autem proportionibus priores quantitates ad alias quasdam, nempe ad tangentes circuli Δ X, Γ Σ, &c, referuntur, iisdem proportionibus & eodem ordine posteriores quoque referuntur ad alias quasdam, nempe ad tempora motus qualem diximus per tangentes cycloidis V S, M T &c. Ergo, sicut se habent omnes simul priores ad omnes eas ad quas ipsæ referuntur, hoc est, sicut tota F G ad tangentes omnes X Δ, Γ Σ, &c. ita tempus quo percurritur tota B I cum celeritate dimidia ex B Θ, ad tempora omnia motuum quales diximus per tangentes cycloidis V S, M T, &c *. Et invertendo itaque, tempora motuum dictorum per tangentes cycloidis, ad tempus per rectam B I cum celeritate dimidia ex B Θ, eandem rationem habebunt quam dictæ tangentes omnes circumferentiæ F H ad rectam F G; ac minorem proinde quam arcus F O ad rectam eandem F G; quia arcus F Φ, ideoque omnino & arcus F O major est dictis omnibus arcus F H tangentibus *. Atqui tempus per B E post N B, ad tempus per B I cum celeritate dimidia ex B Θ, posuimus esse ut arcus F O ad rectam F G. Ergo dicta tempora omnia per tangentes cycloidis minora simul erunt tempore per B E post N B, cum antea majora esse ostensum sit; quod est absurdum. Itaque tempus per arcum cycloidis B E, ad tempus per tangentem B I, cum celeritate dimidia ex B Θ vel ex F A, non habet majorem rationem quam arcus circumferentiæ F H ad rectam F G.

* Prop. 1. Archimedis de Sphæroid. & Conoid.

*Prop 20 huj.

Habeat jam, si potest, minorem. Ergo tempus aliquod majus tempore per arcum B E, (sit hoc tempus Z) erit ad tempus dictum per B I, ut arcus F H ad rectam F G.

Quod si jam sumatur arcus N M æqualis altitudine cum arcu B

E, sed cujus terminus superior N sit humilior puncto B, erit tempus per arcum N M majus tempore per arcum B E*. Manifestum autem quod punctum N tam propinquum sumi potest puncto B, ut differentia dictorum temporum sit quamlibet exigua, ac proinde minor ea qua tempus Z superat tempus per arcum B E. Sit itaque punctum N ita sumptum. Unde quidem tempus per N M minus erit tempore Z, habebitque proinde ad dictum tempus per B I, cum dimidia celeritate ex B Θ, minorem rationem quam arcus F H ad rectam F G. Habeat ergo eam quam arcus L H ad rectam F G.

De motu in Cycloide.
*Prop. 22. huj.



Dividatur jam F G in partes æquales F P, P Q, &c. quarum unaquæque minor sit arcus cycloidis B N altitudine, itemque minor altitudine arcus circumferentiæ F L; & additâ ad F G unâ earum partium G ζ, ducantur à punctis divisionum rectæ basi D C parallelæ, & ad tangentem B Θ terminatæ, P O, Q K, &c; itemque à puncto ζ recta ζ Ω quæ secet cycloidem in V, circumferentiam in η, quibusque in punctis ductæ parallelæ secant circumferentiam F H, ab iis tangentes deorsum ducantur usque ad proximam quæque parallelam, velut θ Δ, Γ Σ: Quarum infima à puncto H ducta occurrat rectæ ζ Ω in X. Similiter vero & à punctis, in quibus dictæ parallelæ occurrunt cycloidi, ducantur totidem tangentes deorsum, velut S A, T Ξ, &c. quarum infima, tangens nempe à puncto E ducta, occurrat rectæ ζ Ω in R.

Quia igitur P ζ æqualis est F G altitudini arcus B E, cui æqualis est ex constructione altitudo arcus N M, erit & P ζ æqualis altitudini arcus N M. Est autem recta P O ex constructione superior termino N. Ergo & ζ Ω, & in ea punctum V, superius termino M. Quare, cum arcus S V æqualis sit altitudinis cum arcu N M, sed termino S sublimiore quam N, erit tempus per S V brevius tempore per N M*.

*Prop. 12 huj.

Atqui tempus per tangentem S A, cum celeritate æquabili ex B S, brevius est tempore descensus accelerati per arcum S T, incipientis in S. Nam celeritas ex B S, qua tota S A transmissa ponitur, æqualis est celeritati ex S T*, quæ motui per arcum S T in fine demum acquiritur; ipsaque S A minor est quam S T. Similiter tempus per tangentem T Ξ, cum celeritate æquabili ex B T, brevius est tempore descensus accelerati per arcum T Y post S T; quum celeritas ex B T, qua tota T Ξ transmissa ponitur, sit æqualis celeritati ex S Y, quæ in fine demum acquiritur motui dicto per arcum T Y post S T; ipsaque T Ξ minor sit arcu T Y. Atque ita tempora omnia motuum æquabilium per tangentes cycloidis, cum celeritatibus per singulas quantæ acquiruntur descendendo ex B usque ad punctum ipsarum contactus, breviora simul erunt tempore descensus accelerati per arcum S V. Eadem vero & longiora essent, ut nunc ostendemus.

*Prop. 8 huj.

Est enim tempus dictum per tangentem S A, cum celeritate æquabili ex B S, ad tempus per rectam O R cum celeritate æquabili dimidia ex B Θ, sicut tangens semicirculi θ Δ ad rectam P Q*. similiterque tempus per tangentem T Ξ, cum celeritate æquabili ex B T, est ad tempus per rectam K Ψ cum celeritate æquabili dimidia ex B Θ, ut tangens Γ Σ ad rectam Q Π. Atque ita deinceps singula tempora per tangentes cycloidis, quæ sunt eadem supra dictis, erunt ad tempora motus æquabilis per partes sibi respondentes rectæ O Ω, cum celeritate dimidia ex B Θ, ut tangentes circumferentiæ θ ϰ, iisdem parallelis inclusæ, ad partes rectæ P ζ ipsis respondentes. Unde, ut in priori parte demonstrationis, concludetur omnes simul rectas P Q, Q Π &c. hoc est, totam P ζ esse ad omnes simul tangentes θ Δ, Γ Σ, &c. sicut tempus quo percurritur tota O Ω, cum celeritate dimidia ex B Θ, adtempora omnia motuum quales diximus per tangentes cycloidis O A, T Ξ, &c. Quare & convertendo, tempora omnia per tangentes cycloidis, eam rationem habebunt ad tempus dictum motus æquabilis per rectam O Ω, sive per B I, quam dictæ tangentes omnes arcus θ ϰ ad rectam P ζ vel F G, ac proinde majorem quam arcus L H ad rectam F G; est enim arcus θ H, adeoque etiam omnino arcus L H, minor dictis tangentibus arcus θ ϰ*. Sed tempus per N M posuimus

*Prop. præced.

*Prop. 20 huj.

mus ab initio ad idem tempus per B I ſe habere ut arcus L H ad rectam F G. Ergo tempus per N M, multoque magis tempus per S V, minus erit tempore per tangentes cycloidis. Quod eſt abſurdum, cum hoc tempus, illo per arcum S V, antea minus oſtenſum fuerit. Patet igitur tempus per arcum cycloidis B E ad tempus per tangentem B I cum celeritate æquabili dimidia ex B Θ, non minorem rationem habere quam arcus F H ad rectam F G. Sed nec majorem habere oſtenſum fuit. Ergo eandem habeat neceſſe eſt. quod erat demonſtrandum.

PROPOSITIO XXV.

IN Cycloide cujus axis ad perpendiculum erectus eſt, vertice deorſum ſpectante, tempora deſcenſus quibus mobile, à quocunque in ea puncto dimiſſum, ad punctum imum verticis pervenit, ſunt inter ſe æqualia; habentque ad tempus caſus perpendicularis per totum axem cycloidis eam rationem, quam ſemicircumferentia circuli ad diametrum.

Eſto cyclois A B C cujus vertex A deorſum ſpectet, axis vero A D ad perpendiculum erectus ſit, & à puncto quovis in cycloide ſumpto, velut B, deſcendat mobile impetu naturali per arcum B A, ſive per ſuperficiem ita inflexam. Dico tempus deſcenſus hujus eſſe ad tempus caſus per axem D A, ſicut ſemicircumferentia circuli ad diametrum. Quo demonſtrato, etiam tempora deſcenſus, per quoſlibet cycloidis arcus ad A terminatos, inter ſe æqualia eſſe conſtabit.

Deſcribatur ſuper axe D A ſemicirculus, cujus circumferentiam ſecet recta B F, baſi D C parallela, in E; junctâque E A, ducatur ei parallela B G, quæ quidem cycloidem tanget in B. Eadem vero occurrat rectæ horizontali per A ductæ in G: ſitque etiam ſuper F A deſcriptus ſemicirculus F H A.

Eſt igitur, per præcedentem, tempus deſcenſus per arcum cycloidis B A, ad tempus motus æquabilis per rectam B G cum celeritate dimidia ex B G, ſicut arcus ſemicirculi F H A ad rectam F A. Tempus vero dicti motus æquabilis per B G, æquatur tempori deſcenſus naturaliter accelerati per eandem B G, ſive per E A, quæ ipſi parallela eſt & æqualis, hoc eſt, tempori deſcenſus accelerati per axem D A*. Itaque tempus per arcum B A, erit quoque ad tempus deſcenſus per axem D A, ut ſemicirculi circumferentia F H A ad diametrum F A. quod erat demonſtrandum.

* Prop. 6. Galil. de motu Accel.

De motu in Cycloide.

Quod si tota cycloidis cavitas perfecta ponatur, constat mobile, postquam per arcum B A descenderit, inde continuato motu per alterum ipsi æqualem arcum ascensurum*, atque in eo tantundem temporis atque descendendo consumpturum*. Deinde

*Prop. 9. huj.

*Prop. 11. huj.



rursus per A ad B perventurum, ac singularum ejusmodi reciprocationum, in magnis parvisve cycloidis arcubus peractarum, tempora fore ad tempus casus perpendicularis per axem D A, sicut circumferentia circuli tota ad diametrum suam.

PROPOSITIO XXVI.

Isdem positis, si ducatur insuper recta horizontalis H I *quæ arcum* B A *secet in* I, *circumferentiam vero* F H A *in* H: *dico tempus per arcum* B I, *ad tempus per arcum* I A *post* B I, *eam rationem habere quam arcus circumferentiæ* F H *ad* H A.

Occurrat enim recta H I tangenti B G in K, axi D A in L. Est itaque tempus per arcum B A, ad tempus motus æquabilis per B G cum celeritate dimidia ex B G, sicut arcus F H A ad rectam F A*. Tempus autem dicti motus æquabilis per B G, est ad tempus motus æquabilis per B K, cum eadem celeritate dimidia ex B G, sicut B G ad B K longitudine, hoc est, sicut F A ad F L. Et rursus tempus motus æquabilis, cum dicta celeritate, per B K, ad tempus per arcum B I, sicut F L ad arcum F H*. Igitur ex æquo erit tempus per arcum B A ad tempus per B I, ut arcus F H A ad F H. Et dividendo, & convertendo, tempus per B I, ad tempus per I A post B I, ut arcus F H ad H A. quod erat demonstrandum.

*Prop. 24 huj.

*Prop. 24 huj.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

HOROLOGII OSCILLATORII
PARS TERTIA.

De linearum curvarum evolutione & dimensione.

DEFINITIONES.

I.

LINEA *in unam partem inflexa vocetur quam rectæ omnes tangentes ab eadem parte contingunt. Si autem portiones quasdam rectas lineas habuerit, hæ ipsæ productæ pro tangentibus habentur.*

II.

Cum autem duæ hujusmodi lineæ ab eodem puncto egrediuntur, quarum convexitas unius obversa sit ad cavitatem alterius, quales sunt in figura adscripta curvæ ABC, ADE, *ambæ in eandem partem cavæ dicantur.*



III.

Si lineæ, in unam partem cavæ, filum seu linea flexilis circumplicata intelligatur, & manente una fili extremitate illi

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

affixa, altera extremitas abducatur, ita ut pars ea quæ soluta est semper extensa maneat; manifestum est curvam quandam aliam hac fili extremitate describi. Vocetur autem ea, Descripta ex evolutione.

IV.

Illa vero cui filum circumplicatum erat, dicatur Evoluta. In figura superiori, A B C *est evoluta,* A D E *descripta ex evolutione* A B C, *ut nempe cum extremitas fili ex* A *venit in* D, *pars fili extensa sit* D B *recta, reliqua parte* B C *adhuc applicata curvæ* A B C. *Manifestum est autem* D B *tangere evolutam in* B.

PROPOSITIO I.

R*Ecta omnis, quæ evolutam tangit, occurret lineæ ex evolutione descriptæ ad angulos rectos.*



Sit A B evoluta, A H vero quæ ex evolutione illius descripta est. Recta autem F D C, tangens curvam A D in D, occurrat in C curvæ A C H. Dico ei occurrere ad angulos rectos: hoc est, si ducatur C E recta perpendicularis C D, dico eam in C tangere curvam A C H. Quia enim D C tangit evolutam in D, apparet ipsam referre positionem fili tunc cum ejus extremitas pervenit in C. Quod si igitur ostenderimus filum, in tota reliqua descriptione curvæ A C H, nusquam pertingere ad rectam C E præterquam in C puncto, manifeſtum erit rectam C E ibidem curvam A C H contingere. DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Sumatur punctum aliquod in A C præter C, quod ſit H, ſitque primo remotius à principio evolutionis A quam punctum C, & intelligatur pars libera eſſe H G, cum extremitate ſua ad H pervenit. Tangit ergo H G lineam A B in G. Cumque interea dum deſcribitur pars curvæ C H, evolutus ſit arcus D G, occurret C D à parte D producta ipſi H G, ut in F. Ponatur autem G H occurrere rectæ C E in E. Quia igitur duæ ſimul D F, F G, majores ſunt quam D G, ſive curva ea fuerit ſive recta: fiet addendo utrinque rectam D C, ut rectæ C F, F G ſimul majores ſint recta C D & ipſa D G. Sed propter evolutionem, apparet utriſque ſimul, rectæ C D, & lineæ D G, æquari rectam H G. Ergo duæ ſimul C F, F G majores quoque erunt recta H G; & ablata communi F G, erit C F major quam H F. Sed F E major eſt quam F C, quia angulus C trianguli F C E eſt rectus. Ergo F E omnino major quam F H. Vnde apparet, ab hac quidem parte puncti C, fili extremitatem non pertingere ad rectam C E.



Sit jam punctum H propinquius principio evolutionis A quam punctum C. ſitque fili poſitio H G, tunc cum ejus extremitas eſſet in H, & ducantur rectæ D G, D H, quarum hæc occurrat rectæ C E in E. apparet autem D G rectam non poſſe eſſe in directum ipſi H G, adeoque H G D fore triangulum. Iam quia recta D G vel minor eſt quam D K G, vel eadem, ſi nempe evolutæ pars D G recta ſit; additâ utrique G H, erunt rectæ D G, G H ſimul minores vel

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

æquales duabus iſtis, ſcilicet D K G & G H, ſive his æquali rectæ D C. Duabus autem rectis D G, G H minor eſt recta D H. Ergo hæc minor utique erit rectâ D C. Sed D E major eſt quam D C, quia in triangulo D C E angulus C eſt rectus. Ergo D H multo minor quam D E. Situm eſt ergo punctum H, hoc eſt extremitas fili G H, intra angulum D C E. Unde apparet neque inter A & C uſquam illam pertingere ad rectam C E. Ergo C E tangit curvam A C in C; ac proinde D C, cui C E ducta eſt perpendicularis, occurrit curvæ ad angulos rectos. quod erat demonſtrandum.

Hinc etiam manifeſtum eſt curvam A H C in partem unam inflexam eſſe, & in eandem partem cavam ac ipſa A G B, cujus evolutione deſcripta eſt. Omnes enim tangentes lineæ A H C, cadunt extra ſpatium D G A H C: omnes vero tangentes lineæ A G D, intra dictum ſpatium. unde liquet cavitatem A H C reſpicere convexitatem A G D.

PROPOSITIO II.

Omnis curva linea terminata, in unam partem cava, ut A B D, *poteſt in tot partes dividi, ut ſi ſingulis partibus ſubtenſæ rectæ ducantur, velut* A B, B C, C D; *& à ſingulis item diviſionis punctis, ipſaque curvæ extremitate rectæ ducantur curvam tangentes, ut* A N, B O, C P, *quæ occurrant iis quæ in proxime ſequentibus diviſionis punctis curvæ ad angulos rectos inſiſtunt, quales ſunt lineæ* B N, C O, D P; *ut inquam ſubtenſa quæque habeat ad ſibi adjacentem curvæ perpendicularem, velut* A B *ad* B N, B C *ad* C O, C D *ad* D P, *rationem majorem quavis ratione propoſita.*

Sit enim data ratio lineæ E F ad F G, quæ recto angulo ad F jungantur, & ducatur recta G E H.

Intelligatur primo curva A B D in partes tam exiguas ſecta punctis B, C, ut tangentes quæ ad bina quæque inter ſe proxima puncta curvam contingunt, occurrant ſibi mutuo ſecundum angulos qui ſinguli majores ſint angulo F E H; quales ſunt anguli A K B, B L C, C M D. quod quidem fieri poſſe evidentius eſt quam ut demonſtratione indigeat. Ductis jam ſubtenſis A B, B C, C D, & erectis curvæ perpendicularibus B N, C O, D P, quæ occurrant productis A K, B L, C M, in N, O, P: dico rationes ſingulas rectarum, A B ad B N, B C ad C O, C D ad D P, majores eſſe ratione E F ad F G.

Quia enim angulus A K B major est angulo H E F, erit residuus illius ad duos rectos, nimirum angulus N K B, minor angulo G E F. DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.



Angulus autem B trianguli K B N est rectus, sicut & angulus F in triangulo E F G. Ergo major erit ratio K B ad B N quam E F ad F G. Sed A B major est quam K B, quoniam angulus K in triangulo A K B est obtusus, est enim major angulo H E F qui est obtusus ex constructione. Ergo ratio A B ad B N major erit ratione K B ad B N, ac proinde omnino major ratione E F ad F G. Eodem modo & ratio B C ad C O, & C D ad D P, major ostendetur ratione E F ad F G. Itaque constat propositum.

PROPOSITIO III.

Duæ curvæ in unam partem inflexæ & in easdem partes cavæ ex eodem puncto egredi nequeunt, ita ad se invicem comparatæ, ut recta omnis quæ alteri earum ad angulos rectos occurrit, similiter occurrat & reliquæ.

Sint enim, si fieri potest, hujusmodi lineæ curvæ A C E, A G K, communem terminum habentes A, & sumpto in exteriore illarum



puncto quolibet K, sit inde educta K E recta, curvæ A G K occurrens ad angulos rectos, ac proinde etiam curvæ A C E.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Potest jam recta quædam sumi major curva K G A, quæ sit Q. Divisa autem intelligatur ipsa K G A, ut in propositione antecedenti dictum fuit, in tot partes punctis H G F, ut subtensæ singulæ K H, H G, G F, F A, ad perpendiculares curvæ sibi contiguas H M, G N, F O, A P majorem rationem habeant quam linea Q ad rectam K E. Itaque & omnes simul dictæ subtensæ ad omnes dictas perpendiculares majorem habebunt rationem quam Q ad K E. Producantur autem perpendiculares eædem & occurrant curvæ A C E in D, C, B, nimirum ad angulos rectos ex hypothesi. Erit jam K E minor quam M D. Etenim, ducta E L ipsi K E perpendiculari, quoniam K E occurrit lineæ curvæ E C A ad angulos rectos, tanget E L curvam A C E, occurretque necessario rectæ M D inter D & M. Vnde cum K E sit brevissima omnium quæ cadunt inter parallelas E L, K M, erit ea minor quam M L, ac proinde minor quoque omnino quam M D. Eodem modo & H D minor ostendetur quam N C, & G C minor quam O B, & F B minor quam P A. Cum sit ergo P A major quam F B, erunt duæ simul P A, O F majores quam O B. Item quum O B sit major quam G C, erunt duæ simul O B, N G, majores quam N C. Sed duæ P A, O F majores erant quam O B. Itaque tres simul P A, O F, N G omnino majores erunt quam N C. Rursus, quia N C major quam H D, erunt duæ simul N C, M H majores quam M D. Vnde, si loco N C sumantur tres hæ ipsa majores P A, O F, N G, erunt omnino hæ quatuor P A, O F, N G, M H majores quam M D: ac proinde eædem quoque omnino majores recta K E, quia ipsa M D major erat quam K E. Diximus autem subtensas omnes A F, F G, G H, H K majorem rationem habere ad omnes perpendiculares P A, O F, N G, M H, quam linea Q ad K E. Ergo cum dictis perpendicularibus minor etiam sit K E, habebunt dictæ subtensæ ad K E omnino majorem rationem quam Q ad K E. Ergo subtensæ simul sumptæ majores erunt recta Q. Hæc autem ipsâ curvâ A G K major sumpta fuit. Ergo subtensæ A F, F G, G K, H K simul majores erunt curva A G K cujus partibus subtenduntur; quod est absurdum, cum singulæ suis arcubus sint minores. Non igitur poterunt esse duæ curvæ lineæ quæ quemadmodum dictum fuit sese habeant. quod erat demonstrandum.

PROPOSITIO IV.

SI ab eodem puncto duæ lineæ exeant in partem unam inflexæ, & in eandem partem cavæ, ita vero mutuo comparatæ *parata ut recta omnes, quæ alteram earum contingunt, alteri occurrant ad angulos rectos; posterior hæc prioris evolutione, à puncto communi cœpta, describetur.*

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Sunto lineæ A B C, A D E, in partem unam inflexæ, & quarum utraque in easdem partes cava existat, habeantque communem terminum A punctum. Omnes autem rectæ tangentes lineam A B C, velut B D, C E, occurrant lineæ A D E ad angulos rectos. Dico evolutione ipsius A B C, à termino A incepta, describi A D E.



Si enim fieri potest, describatur dicta evolutione alia quædam curva A F G. Ergo lineæ rectæ quælibet, evolutam A B C tangentes, ut B D, C E, occurrent ipsi A F G ad angulos rectos *, puta in F & G. Sed eædem tangentes etiam ad rectos angulos occurrere ponuntur lineæ A D E. Sunt igitur lineæ curvæ A D F, A F G, eodem puncto A terminatæ, inque partem unam flexæ, & ambæ in eandem partem cavæ, quippe utraque in eandem atque ipsa A B C; nam de linea A D E constat ex hypothesi, de A F G vero ex propositione prima hujus; & omnes quæ uni earum occurrunt ad angulos rectos, etiam alteri similiter occurrunt. quod quidem fieri non posse antea ostensum est *. Quare constat ipsam A D E descriptum iri evolutione lineæ A B C. quod erat demonstrandum.

* Prop. 1. huj.

* Prop. 3. huj.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

PROPOSITIO V.

SI Cycloidem recta linea in vertice contingat, super qua, tanquam basi, alia cyclois priori similis & æqualis constituatur, initium sumens à puncto dicti verticis; recta qualibet inferiorem cycloidem tangens, occurret superioris portioni, sibi superpositæ, ad angulos rectos.

Tangat cycloidem A B C in vertice A recta A G, super qua, tanquam basi, similis alia cyclois constituta sit A E F, cujus vertex F. Cycloidem autem A B C tangat recta B K in B. Dico eam productam occurrere cycloidi A E F ad angulos rectos.



Describatur enim circa A D, axem cycloidis A B C, circulus genitor A H D, cui occurrat B H, basi parallela, in H, & jungatur H A. Quia ergo B K tangit cycloidem in B, constat eam parallelam esse rectæ H A *. Itaque A H B K parallelogrammum est, ac proinde A K æqualis H B, hoc est, arcui A H *. Sit porro jam descriptus circulus K M, genitori circulo, hoc est ipsi A H D, æqualis, qui tangat basin A G in K, rectam vero B K productam secet in puncto E. Quia ergo ipsi A H parallela est B K E, ac proinde angulus E K A æqualis K A H, manifestum est B K productam abscindere à circulo K M arcum æqualem ei quem à circulo A H D abscindit recta A H. Itaque arcus K E æqualis est arcui A H, hoc est rectæ H B, hoc est rectæ K A. Hinc

* Propos. 15. partis 2.
* Propos. 14. partis 2.

vero ſequitur, ex cycloidis proprietate, cum circulus genitor M K tangebat regulam in K, punctum deſcribens fuiſſe in E. Itaque recta K E occurrit cycloidi in E ad angulos rectos *. Eſt autem K E ipſa B K producta. Ergo patet productam B K occurrere cycloidi ad angulos rectos. quod erat demonſtrandum.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

* Propoſ. 15. partis 2.

PROPOSITIO VI.

SEmicycloidis evolutione, à vertice cœpta, alia ſemicyclois deſcribitur evoluta æqualis & ſimilis, cujus baſis eſt in ea recta quæ cycloidem evolutam in vertice contingit.

Sit ſemicyclois A B C, cui ſuperimpoſita ſit alia ſimilis A E F, quemadmodum in propoſitione præcedenti. Dico, ſi linea flexilis, circa ſemicycloidem A B C applicata, evolvatur, incipiendo ab A, eam deſcribere extremitate ſua ipſam ſemicycloidem A E F. Quia enim ex puncto A egrediuntur ſemicycloides A B C, A E F, in unam partem inflexæ, & ambæ in eandem cavæ, ac præterea ita comparatæ, ut omnes tangentes ſemicycloidis A B C occurrant ſemicycloidi A E F ad angulos rectos, ſequitur hanc evolutione illius, à termino A incepta, deſcribi *. quod erat demonſtrandum.

* Propoſ. 4. huj.

Et apparet, ſi dimidiam cycloidem, ipſi A B C gemellam, contrario ſitu ab altera parte lineæ C G diſponamus, velut C N, ejus evolutione, vel etiam dum filum, jam extenſum in C F, circa eam replicatur, alteram ſemicycloidem F N fili extremitate deſcriptum iri, quæ ſimul cum priore A E F integram conſtituat.

Atque ex his, & propoſitione 25 de deſcenſu gravium, manifeſtum jam eſt quod ſupra in Conſtructione Horologii de æquabili penduli motu dictum fuit. Patet enim perpendiculum, inter laminas binas, ſecundum ſemicycloidem inflexas, ſuſpenſum agitatumque, motu ſuo cycloidis arcum deſcribere, ac proinde æqualibus temporibus quaſlibet ejus reciprocationes abſolvi. Non refert enim utrum in ſuperficie, ſecundum cycloidem curvata, mobile feratur, an filo alligatum lineam ipſam in aëre percurrat, cum utrobique eandem libertatem, eandemque in omnibus curvæ punctis inclinationem ad motum habeat.

PROPOSITIO VII.

CYclois linea ſui axis, ſive diametri circuli genitoris, quadrupla eſt.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Repetita enim figura præcedenti: cum post totam semicycloidem A B C evolutam, filum occupet rectam C F, quæ dupla est A D, propterea quod axes cycloidum A B C, A E F sunt æquales; apparet semicycloidem ipsam A B C, filo sibi circum applicito æqualem, duplam esse sui axis A D, ac totam proinde cycloidem axis sui quadruplam.



Apparet etiam tangentem B E, quæ refert partem fili extensam, antea curvæ parti B A applicatam, huic ipsi longitudine æquari. Est autem B E dupla ipsius B K, sive A H, quoniam in propositione quinta ostensum est K E ipsi A H æqualem esse. Itaque pars cycloidis A B rectæ A H, sive B K, dupla erit: existente nimirum B H parallela basi cycloidis: idque ubicumque in ea punctum B sumptum fuerit.

Hanc cycloidis dimensionem primus invenit, via tamen longe alia, eximius geometra Christophorus Wren Anglus, eamque deinde eleganti demonstratione confirmavit, quæ edita est in libro de cycloide viri clarissimi Ioannis Wallisij. De eadem vero linea, alia quoque multa extant pulcherrima inventa nostri temporis mathematicorum, quibus præcipuè occasionem præbuere problemata quædam à Blasio Paschalio Gallo proposita, qui in his studiis præcellebat. Is cum sua, tum aliorum inventa recensens, primum omnium Mersennum lineam hanc in rerum natura advertisse ait. Primum Robervallium tangentes ejus definiviſſe, ac plana & ſolida dimenſum eſſe. Item centra gravitatis tum plani, tum partium ejus inveniſſe. Primum Wrennium curvæ cycloidis æqualem rectam dediſſe. Me quoque primum reperiſſe dimenſionem abſolutam portionis cycloidis, quæ rectâ, baſi parallelâ, abſcinditur per punctum axis, quod quarta parte ejus à vertice abeſt. quæ nimirum portio æquatur dimidio hexagono æquilatero, intra circulum genitorem deſcripto. Seipſum denique ſolidorum ac ſemiſolidorum, tam circa baſin quàm circa axem, centra gravitatis definiviſſe, itemque partium eorum. Lineæ etiam ipſius (ſed hæc poſt acceptam à Wrennio dimenſionem) centrum gravitatis inveniſſe, & dimenſionem ſuperficierum convexarum, quibus ſolida iſta eorumque partes comprehenduntur; earumque ſuperficierum centra gravitatis. Ac denique dimenſionem curvarum cujuſvis cycloidis, tam protractæ quam contractæ: hoc eſt earum quæ deſcribuntur à puncto intra vel extra circumferentiam circuli genitoris ſumpto. Et horum quidem demonſtrationes à Paſchalio ſunt editæ. A quibus ſuas quoque, de eadem linea, ſubtiliſſimas meditationes expoſuit Cl. Walliſius, atque eadem illa omnia ſuo marte ſe reperiſſe, ac problemata à Paſchalio propoſita ſolviſſe contendit. Quod idem & doctiſſimus Lovera ſibi vindicat. Quantum vero unicuique debeatur, ex ſcriptis eorum eruditi dijudicent. Nos propterea tantum præcedentia retulimus, quod ſilentio prætereunda non videbantur egregia adeo inventa, quibus factum eſt ut, ex lineis omnibus, nulla nunc melius aut penitiùs quam cyclois cognita ſit. Methodum vero noſtram, qua in hac metienda uſi ſumus, in aliis quoque experiri libuit, de quibus porro nunc agemus.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

PROPOSITIO VIII.

CUjus lineæ evolutione parabola deſcribatur oſtendere.

Sit paraboloides A B, cujus axis A D; vertex A; proprietas autem iſta, ut ordinatim ad axem applicata B D, cubus abſciſſæ ad verticem D A æquetur ſolido, baſin habenti quadratum D B, altitudinem vero æqualem lineæ cuidam datæ M; quæ quidem curva pridem geometris nota fuit; & pouatur axi D E juncta in directum A E, quæ habeat $\frac{8}{27}$ ipſius M. Iam ſi filum continuum circa E A B applicetur, idque ab E evolvi incipiat, dico deſcriptam ex evolutione eſſe parabolam E F, cujus axis E A G, vertex E, latus rectum æquale duplæ E A.



Sumpto enim in curva A B puncto quolibet B, ducatur quæ in ipſo tangat curvam recta B G, occurrens axi E A in G. & ex G ducatur porro G F, quæ ad rectos angulos occurrat parabolæ E F in F; & ſit ipſi G F perpendicularis F H, quæ parabolam in F continget; & denique F K ordinatim ad axem E G applicetur.

Eſt igitur K G æqualis dimidio lateri recto, hoc eſt, ipſi E A; ac proinde, additâ vel ablatâ utrimque A K, erit E K æqualis A G. Eſt autem A G triens ipſius A D, quoniam B G tangit paraboloidem in B: illud enim ex natura curvæ hujus facile demonſtrari poteſt. Ergo & E K æqualis eſt trienti A D: & K H, quæ ex natura parabolæ dupla eſt K E, æquabitur duabus tertiis A D. Itaque cubus ex K H æqualis eſt $\frac{8}{27}$ cubi ex A D, hoc eſt, ſolido baſin habenti quadratum D B, altitudinem vero æqualem $\frac{8}{27}$ M, hoc eſt, ipſi A E. Quamobrem ut quadratum D B ad quadratum K H, ita erit K H longitudine ad A E, hoc eſt ad K G. Erat autem K H æqualis $\frac{2}{3}$ A D, hoc eſt ipſi G D. Ergo ut quadratum B D ad quadratum D G ita eſt H K ad K G. Vt autem H K ad K G, ita eſt quadratum F K ad quadratum K G. Ergo ſicut quadratum B D ad quadratum D G, ita quadratum F K ad quadratum K G. Et proinde ſicut B D ad D G longitudine, ita F K ad K G. Vnde ſequitur B G F eſſe lineam rectam. Sed G F occurrit parabolæ E F ad angulos rectos. Ergo apparet B G, tangentem paraboloidis, productam occurrere eidem parabolæ ad angulos rectos. Idque similiter de quavis illius tangente demonstrabitur. Ergo constat ex evolutione lineæ E A B, à termino E incepta, describi parabolam E F *. quod erat demonstrandum.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

* Prop. 4. huj.

PROPOSITIO IX.

Rectam lineam invenire æqualem datæ portioni curvæ paraboloidis, ejus nempe in qua quadrata ordinatim applicatarum ad axem, sunt inter se sicut cubi abscissarum ad verticem.

Quomodo hoc fiat ex prop. præcedenti manifestum est. Parabola vero E F ad constructionem non requiritur, quæ sic peragetur. Data quavis parte paraboloidis hujus A B, cui rectam æqualem invenire oporteat, ducatur B G tangens in puncto B, quæ occurrat axi A G in G. Tanget autem si A G fuerit tertia pars A D, inter



verticem & ordinatim applicatam B D interceptæ. Porro sumpta A E æquali $\frac{8}{27}$ lineæ M, quæ latus rectum est paraboloidis A B, ducatur E F parallela B G, occurratque lineæ A F, quæ parallela est B D, in F. Iam si ad rectam B G addatur N F, excessus rectæ E F supra E A, habebitur recta æqualis curvæ A B. Cujus demonstratio ex ante dictis facile perspicitur.

Semper ergo curva A B tantum superat tangentem B G, quantum recta E F rectam E A.

Rursus autem hic in lineam incidimus, cujus longitudinem alii jam ante dimensi sunt. Illam nempe quam anno 1659 Ioh. Heuratius Harlemensis rectæ æqualem ostendit, cujus demonstratio post commentarios Ioh. Schotenii in Cartesii Geometriam, eodem anno editam, adjecta est. Et ille quidem omnium primus curvam lineam, ex earum numero quarum puncta quælibet geo-

De linearum curvarum evolutione.

metricè definiuntur, ad hanc mensuram reduxit, cum sub idem tempus Cycloidis longitudinem dedisset Wrennius, non minus ingenioso epicheremate.

Scio equidem, ab edito Heuratii invento, Doctissimum Wallisium Wilhelmo Nelio, nobili apud suos juveni, idem attribuere voluisse, in libro de Cissoide. Sed mihi, quæ illic adfert perpendenti, videtur non multum quidem ab invento illo Nelium abfuisse, neque tamen plane id adsecutum esse. Nam neque ex demonstratione ejus, quam Wallisius affert, apparet illum satis perspexisse quænam foret curva illa, cujus, si construeretur, mensuram datam fore videbat. Et credibile est, si scivisset ex earum numero esse quæ jampridem Geometris cognitæ fuerant, vel ipsum, vel alios ejus nomine, tam nobile inventum Geometris maturius impertituros fuisse, quod, si quod aliud, merebatur ut Archimedeum illud εὕρηκα exclamarent. Sane ejusdem inventi, tanquam à se profecti, etiam Fermatius, Tholosanus senator ac Geometra peritissimus, demonstrationes conscripsit, quæ anno 1660 excusæ sunt; sed illæ sero utique.

Cum vero in his simus, etiam de nobis dicere liceat, quid ad promovendum tam eximium inventum contulerimus: siquidem & Heuratio ut eo perveniret occasionem præbuimus, & dimensionem curvæ parabolicæ ex hyperbolæ data quadratura, quæ Heuratiani inventi pars est, ante ipsum atque omnium primi reperimus. Etenim sub finem anni 1657 in hæc duo simul incidimus, curvæ parabolicæ quam dixi dimensionem, & superficiei conoidis parabolici in circulum reductionem. Cumque Schotenio, aliisque item amicorum, per literas indicassemus, duo quædam non vulgaria circa parabolam inventa nobis sese obtulisse, eorumque alterum esse conoidicæ superficiei extensionem in circulum, ille litteras eas cum Heuratio, quo tum familiariter utebatur, communicavit. Huic vero, acutissimi ingenii viro, non difficile fuit intelligere, conoidis istius superficiei affinem esse dimensionem ipsius curvæ parabolicæ. Qua utraque inventa, ulterius inde investigans, in alias istas curvas paraboloides incidit, quibus rectæ æquales absolute inveniuntur.

Ac de Conoidis quidem superficie in planum redacta, ne quis forte testimonium desideret, pauca hæc adscribere visum est ex literis viri clarissimi, atque inter præcipuos hodie Geometras censendi, Franc. Slusii, quibus eo ipso anno mihi inventum illud, ac prolixius forte quam pro merito, gratulatus est. In quibus literis

24.

24. Decemb. anni 1657. datis, ista habentur. *Duo tantum addo, unum &c. Alterum est, me has omnes curvas, ipsumque adeo locum linearem integrum, nihili pene facere præ invento hoc tuo, quo superficiei in conoide parabolico rationem ad circulum suæ baseos demonstrasti. Hanc pro circuli quadratura pulcherrimam* ἀπαγωγὴν *præfero libens iis omnibus, quas ex loco lineari nec paucas olim deduxi, & quas tecum, si ita jusseris, data occasione communicabo.*

Anno autem insequenti etiam superficies conoidum hyperbolicorum & sphæroidum reperi, quomodo ad circulos reduci possent, constructionesque eorum problematum, non addita tamen demonstratione, Geometris quibuscum tunc litterarum commercium habebam, in Gallia Paschalio aliisque, in Anglia Wallisio impertii, qui non multo post sua quoque super his, una cum aliis multis subtilibus inventis in lucem edidit, fecitque ut nostris demonstrationibus perficiendis supersederem. Quoniam vero non inelegantes visæ sunt constructiones nostræ, neque adhuc publice extant, placet hoc loco illas adscribere.

Conoidis parabolici superficiei curvæ circulum æqualem invenire.

Sit datum conoides cujus sectio per axem parabola A B C; axis ejus B D, vertex B, diameter basis A C, qui sit axi B D ad an-



gulos rectos. Et oporteat superficiei portionis curvæ invenire circulum æqualem.

Producto axe à parte verticis, ſumatur B E æqualis B D, & jungatur E A, quæ parabolam A B C in A continget. Porro ſecetur A D in G, ut ſit A G ad G D ſicut E A ad A D. Et utriſque ſimul A E, D G æqualis ſtatuatur recta H. Item trienti baſis A C æqualis ſit recta L, & inter H & L media proportionalis inveniatur K. qua tanquam radio circulus deſcribatur. Is æqualis erit ſuperficiei curvæ conoidis A B C. Hinc ſequitur, ſi fuerit A E dupla A D, ſuperficiem conoidis curvam ad circulum baſeos fore ut 14 ad 9. Si A E tripla A D, ut 13 ad 6. ſi A E quadrupla A D, ut 14 ad 5. Atque ita ſemper fore ut numerus ad numerum, ſi A E ad A D ejuſmodi rationem habuerit.

Sphæroidis oblongi ſuperficiei circulum æqualem invenire.

ESto ſphæroides oblongum cujus axis A B, centrum C, ſectio per axem ellipſis A D B E, cujus minor diameter D E.

Ponatur D F æqualis C B, ſeu ponatur F alter focorum ellipſeos A D B E, rectæque F D parallela ducatur B G, occurrens productæ



E D in G. centroque G, radio G B, deſcribatur ſuper axe A B arcus circumferentiæ B H A. Interque ſemidiametrum C D & rectam utriſque æqualem, arcui A H B & diametro D E, media proportionalis ſit recta K. Erit hæc radius circuli qui ſuperficiei ſphæroidis A D B E æqualis ſit.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Sphæroidis lati sive compressi superficiei circulum æqualem invenire.

SIt sphæroides latum cujus axis A B, centrum C, sectio per axem ellipsis A D B E.

Sit rursus focorum alteruter F, divisâque bifariam F C in G, intelligatur parabola A G B quæ basin habeat axem A B, verticem



vero punctum G. Sitque inter diametrum D E, & rectam curvæ parabolicæ A G B æqualem, media proportionalis linea H. Erit hæc radius circuli qui superficiei sphæroidis propositi æqualis sit.

Conoidis hyperbolici superficiei curvæ circulum æqualem invenire.

ESto conoides hyperbolicum cujus axis A B, sectio per axem hyperbola C A D, cujus latus transversum E A, centrum F, latus rectum A G.

Sumatur in axe recta A H, æqualis dimidio lateri recto A G. & ut H F ad A F longitudine ita, sit A F ad F K potentiâ. Et intelligatur vertice K alia hyperbola descripta K L M, eodem axe & centro F cum priore, quæque latera rectum & tranversum illi reciproce proportionalia habeat. Occurrat autem ipsi producta B C in M, sitque A L parallela B C. Erit jam sicut spatium A L M B, tribus rectis lineis & curva hyperbolica comprehensum, ad dimidium quadratum ex B C, ita superficies conoidis curva ad circulum baseos suæ, cujus diameter C D. Vnde constructio reliqua facile absolvetur, positâ hyperbolæ quadraturâ.

Quum igitur conoidis parabolici superficies ad circulum redigatur, æque ac superficies sphæræ, ex notis geometriæ regulis; in superficie sphæroidis oblongi, ut idem fiat, ponendum est arcus

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

circumferentiæ longitudinem æquari posse lineæ rectæ. Ad sphæroidis vero lati, itemque ad conoidis hyperbolici superficiem eadem ratione complanandam, hyperbolæ quadratura requiritur. Nam parabolicæ lineæ longitudo, quam in sphæroide hoc adhibuimus, pendet à quadratura hyperbolæ, ut mox ostendemus.

Verum, quod non indignum animadversione videtur, invenimus absque ulla hyperbolicæ quadraturæ suppositione, circulum æqualem construi superficiei utrique simul, sphæroidis lati & conoidis hyperbolici.



Dato enim sphæroide quovis lato, posse inveniri conoides hyperbolicum, vel contra, dato conoide hyperbolico, posse inveniri sphæroides latum ejusmodi, ut utriusque simul superficiei exhibeatur circulus æqualis. cujus exemplum in casu uno cæteris simpliciore sufficiet attulisse.

Sit sphæroides latum cujus axis S I, sectio per axem ellipsis S T I K; cujus ellipsis centrum O, axis major T K. ponatur autem ellipsis hæc ejusmodi, ut latus tranversum T K habeat ad latus rectum eam rationem, quam linea secundum extremam & mediam rationem secta, ad partem sui majorem.

Sumatur B C potentia dupla ad S O, item B A potentia dupla ad O K. & sint hæ quatuor continue proportionales B C, B A, B F, B E, & ponatur E P æqualis E A. Intelligatur jam conoides hyperbolicum Q F N, cujus axis F P; axi adjecta, sive ½ latus transversum F B; dimidium latus rectum æquale B C. DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.



Hujus conoidis superficies curva, unà cum superficie sphæroidis S I, æquabitur circulo cujus datus erit radius M L, qui nempe possit quadratum T K cum duplo quadrato S I.

Curvæ parabolicæ æqualem rectam lineam invenire.

SIt parabolæ portio A B C, cujus axis B K, basis A C axi ad angulos rectos; & oporteat curvæ A B C rectam æqualem invenire.

Accipiatur basi dimidiæ A K æqualis recta I E, quæ producatur ad H, ut sit I H æqualis A G, quæ parabolam in puncto basis A contingens, cum axe producto convenit in G. Sit jam portio hyperbolæ D E F, vertice E, centro I descriptæ, cujusque diameter sit E H; basis vero D H F ordinatim ad diametrum applicata. Latus rectum pro lubitu sumi potest. Quod si jam super basi D F intelligatur parallelogrammum constitutum D P Q F, quod portioni D E F æquale sit; ejus latus P Q ita secabit diametrum hyperbolæ in R, ut R I sit æqualis curvæ parabolicæ A B, cujus dupla est A B C.

Apparet igitur hinc quomodo à quadratura hyperbolæ pendeat curvæ parabolicæ mensura, & illa ab hac vicissim.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Quæcunque vero problemata ad alterum è duobus hisce reducuntur, quamlibet veræ proximam solutionem per numeros ac-



cipiunt, logarithmorum admirabili invento. Cum per hos hyperbolæ quadratura, ut olim invenimus, numeris quam proxime explicetur. Est autem regula hujusmodi.

Sit D A B portio hyperbolæ, cujus asymptoti C S, C V, ductis D E, B V parallelis asymptoto S C.



Accipiatur differentia logarithmorum qui conveniunt numeris, eandem inter se rationem habentibus quam rectæ D E, B V; ejusque differentiæ quæratur logarithmus. Cui addatur logarithmus hic (qui ſemper eſt idem) o, 36221, 56887. Summa erit logarithmus numeri qui ſpatium D E V B A D deſignabit, tribus rectis & curva D A B comprehenſi, in partibus qualium parallelogrammum D C eſt 100000, 00000. Vnde porro facile quoque habebitur area portionis D A B.

Sit ex. gr. proportio D E ad B V ea quæ 36 ad 5.

Ab	1, 55630, 25008,	logar°. 36.
auferatur	0,69897, 00043.	logar^us^. 5.
Erit	0, 85733, 14965.	differ. logar^orum^.
Et	9, 93314, 92856.	logar^us^. differentiæ.
Cui addatur	0, 36221, 56887.	logar^us^. ſemper addendus.
Fit	10, 29536, 49743.	logar^us^. ſpatii D E V B A D.

Habebit hujus logarithmi numerus 11 characteres, quum characteriſtica ſit 10. Quæratur itaque primo numerus proxime minor, conveniens invento logarithmo, qui numerus eſt 19740. Deinde ex differentia logarithmi ejuſdem, & proxime eum in tabula ſequentis, reliqui characteres eliciantur 81026, ſcribendi poſt priores, ut fiat 197408, 10260, addito ad finem zero, ut efficiatur numerus characterum 11. Eſt ergo area ſpatii D E V B A D proxime partium 197408, 10260, qualium partium parallelogrammum D C eſt 100000, 00000.

PROPOSITIO X.

Lineas curvas exhibere quarum evolutione ellipſes & hyperbolæ deſcribantur, rectaſque invenire iiſdem curvis æquales.

Sit ellipſis vel hyperbole quælibet A B, cujus axis tranſverſus A C; centrum figuræ D; latus rectum duplum ipſius A E. Et ſumpto in ſectione quovis puncto, ut B, applicetur ordinatim ad axem recta B K, & ad dictum punctum B tangens ducatur quæ conveniat cum axe in F; ſitque B G ipſi F B perpendicularis, axique occurrat in G; & producatur B G uſque ad H, ut B H ad H G habeat rationem eam quæ componitur ex rationibus G F ad F K, & A D ad D E.

Dico curvam E H M, cujus puncta omnia inveniuntur eodem modo quo punctum H, eſſe eam cujus evolutione, unà cum recta E A, deſcribetur ſectio A B. Ipſam autem B H tangere curvam in

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

H, & esse toti H E A æqualem. Quamobrem, si ab H B auferatur E A, reliqua recta portioni curvæ H E æquabitur. Apparet autem, cum curvæ puncta quævis indifferenter, certaque ratione inveniantur, esse eam utrobique ex earum genere, quæ merè geometricæ censentur. Unde & relatio horum omnium punctorum ad puncta axis A C, æquatione aliqua exprimi poterit, quam æquationem ad sextam dimensionem ascendere invenio; minimumque habere ter-



minorum, si fuerit A B hyperbola cujus latera transversum rectumque æqualia. Tunc enim ducta ex quovis curvæ puncto, ut H, ad axem C A N perpendiculari H N; vocatâque A C, a; C N, x; & N H, y; erit semper cubus ab xx-yy-aa æqualis 27 $xxyyaa$. Sed hoc casu brevius quoque multo, quam prædicta constructione, curvæ E H M puncta reperiri possunt, ut in sequentibus ostendetur.

Cæterum notandum est, in ellipsi singulos quadrantes singularum linearum evolutione describi; sicut quadrans A B L evolutione lineæ A E H M, quadrans C L evolutione similis huic oppositæ C O M. Est enim hæc in sectione utraque diversitas, quod cum principium quidem curvæ E H M, tam in ellipsi quam in hyperbola, sit punctum E, sumpta A E æquali $\frac{1}{2}$ lateris recti; in hyperbola in infinitum inde dicta linea extenditur, at in ellipsi finitur

in

in puncto axis minoris M, sumpta L M æquali $\frac{1}{2}$ lateris recti, secundum quod possunt ordinatim applicatæ ad dictum minorem axem. Namque hos terminos esse hujus curvæ, facile apparebit ortum ejus consideranti, quodque in ellipsi est sicut A D ad D E, ita L M ad M D. DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Horum autem demonstrationi non immorabimur, sed ad ipsam methodum tradendam pergemus, qua & hæ curvæ ex sectionibus conicis, & aliæ innumeræ ex aliis quibuscunque datis inveniuntur.

PROPOSITIO XI.

Datâ lineâ curvâ, invenire aliam cujus evolutione illa describatur; & ostendere quod ex unaquaque curva geometrica, alia curva itidem geometrica existat, cui recta linea æqualis dari possit.

Sit curva quæpiam, vel pars ejus, in partem unam inflexa A B F, & recta K L, ad quam puncta omnia referantur; & oporteat invenire curvam aliam, ut D E, cujus evolutione ipsa A B F describatur.





Ponatur jam inventa; & quoniam tangentes omnes curvæ D E, necesse est occurrere lineæ A B F, ex evolutione descriptæ, ad angulos rectos; patet quoque vicissim eas quæ ipsi A B F ad rectos angulos insistunt, ut B D, F E, tacturas evolutam C D E.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Intelligantur autem puncta B, F, inter se proxima; & si quidem à parte A evolutio incipere ponatur, ulteriusque inde distet F quam B, etiam contactus E ulterius quam D distabit ab A; intersectio vero rectarum B D, F E, quæ est G, cadet ultra punctum D in recta B D. Nam concurrere ipsas B D, F E necesse est, cum curvæ B F ad partem cavam insistant rectis angulis.

Quanto autem punctum F ipsi B propinquius fuerit, tanto propius quoque puncta D, G & E convenire apparet; ideoque, si interstitium B F infinite parvum intelligatur, tria dicta puncta pro uno eodemque erunt habenda; ac præterea, ductâ rectâ B H, quæ curvam in B tangat, eadem quoque pro tangente in F censebitur. Sit B O parallela K L, & in hanc perpendiculares cadant B K, F L: secetque F L rectam B O in P, & sint puncta notata M, N, in quibus rectæ, B D, F E, occurrant ipsi K L. Quia igitur ratio B G ad G M est eadem quæ B O ad M N, data hac dabitur & illa; & quia recta B M datur magnitudine ac positione, dabitur & punctum G in producta B M, sive D in curva C D E, quia G & D in unum convenire diximus. Datur autem ratio B O ad M N; simpliciter quidem in Cycloide, ubi primùm omnium illam investigavimus, invenimusque duplam; in aliis vero curvis, quas hactenus examinavimus, per duarum datarum rationum compositionem. Nam quia ratio B O ad M N componitur ex rationibus B O ad B P, sive N H ad L H, & ex B P sive K L ad M N; patet si rationes hæ utræque dentur, etiam ex iis compositam rationem B O ad M N datum iri. Illas vero dari in omnibus curvis geometricis, in sequentibus patebit; ac proinde iis semper curvas adsignari posse, quarum evolutione describantur, quæque ideo ad rectas lineas sint reducibiles.

Ponatur primò parabola esse A B F, cujus vertex A, axis A Q. Cum igitur lineæ B M, F N, sint parabolæ ad angulos rectos; ductæque sint ad axem A Q perpendiculares B K, F L; erunt, ex proprietate parabolæ, singulæ M K, N L dimidio lateri recto æquales; & ablata communi L M, æquales inter se K L, M N. Hinc, quum ratio B G ad G M componatur ex rationibus N H ad H L, & K L ad M N, uti dictum fuit, sitque earum posterior ratio æqualitatis; liquet rationem B G ad G M fore eandem quæ N H ad H L; & dividendo, B M ad M G, eandem quæ N L ad L H, sive M K ad K H; nam L H, K H pro eadem habentur, propter propinquitatem punctorum B, F. Data autem est ratio M K ad K H, dato puncto B; quoniam tam M K, quam K H dantur magnitudine; nam M K æquatur dimidio lateri recto, K H vero duplæ K A. Dataque etiam est positione & magnitudine recta B M. Ergo & M G data erit, adeoque & punctum G, sive D, in curva R D E; quod nempe invenitur producta B M usque in G, ut sit B M ad M G sicut $\frac{1}{2}$ lateris recti ad duplam K A.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.



Et sic quidem, adsumptis in parabola A B F aliis quotlibet punctis præter B, totidem quoque puncta lineæ R D E, simili ratione, invenientur; atque hoc ipso lineam R D E geometricam esse constat, unáque proprietas ejus innotescit, ex qua cæteræ deduci possunt. Vt si inquirere deinde velimus, quanam æquatione exprimatur relatio punctorum omnium curvæ C D E ad rectam A Q: ducta in hanc perpendiculari D Q, vocatoque latere recto parabolæ A B F, a; A K, b; A Q, x; Q D, y. Quoniam ratio B M ad M D, hoc est, K M ad M Q, est ea quæ $\frac{1}{2} a$ ad $2 b$, estque ipsa K M $\propto \frac{1}{2} a$, erit & M Q æqualis $2 b$. Est autem M A $\propto \frac{1}{2} a + b$. ergo A Q sive x æqualis $3 b + \frac{1}{2} a$. Vnde $b \propto \frac{1}{3} x - \frac{1}{6} a$. Porro quoniam, sicut quadratum M K, hoc est, $\frac{1}{4} a a$ ad quadratum K B, hoc est, $a b$, ita qu. M Q, hoc est, $4 b b$ ad qu. Q D; erit qu. Q D, sive $y y \propto \frac{16 b^3}{a}$. Vbi, si in locum b substituatur $\frac{1}{3} x - \frac{1}{6} a$, quod illi æquale inventum est, fiet $y y \propto$ 16 cub. $\frac{1}{3} x - \frac{1}{6} a$ divisis per a. Ac proinde $\frac{27}{16} a y y \propto$ cubo ab $x - \frac{1}{2} a$. Accipiatur A R in axe parabolæ $\propto \frac{1}{2} a$; eritque R Q $\propto x - \frac{1}{2} a$. Curvam igitur C D ejus naturæ esse liquet, ut semper cubus lineæ R Q æquetur parallelepipedo, cujus basis qu. Q D, altitudo $\frac{27}{16} a$; ac proinde ipsam paraboloidem esse, cujus evolutione describi parabolam A B supra ostendimus; cujus nimirum paraboloidis latus rectum æquetur $\frac{27}{16}$ lateris recti parabolæ A B. tunc enim hujus latus rectum æquale fit $\frac{16}{27}$ lateris recti paraboloidis, quemadmodum ibi fuit definitum.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Quomodo porro ratio O B ad B P, sive N H ad H L, non tantum cum A B F parabola est, sed etiam alia quælibet curva geometrica, semper inveniri possit manifestum est. Quoniam tantum recta F H ducenda est, quæ curvam in adsumpto puncto F tangat, & F N ipsi F H perpendicularis: unde N H & H L datæ erunt, ac proinde ratio quoque earum data.





At non æque liquet quo pacto ratio K L ad M N innotescat, quam tamen semper quoque reperiri posse sic ostendemus.

Sint rectæ K T, L V, perpendiculares super K L, sitque K T æqualis K M, & L V æqualis L N, & ducatur V X parallela L N, quæ occurrat ipsi K T in X. Quoniam ergo semper eadem est differentia duarum L K, N M, quæ duarum L N, K M, hoc est, quæ duarum L V, K T; est autem differentiæ ipsarum L V, K T æqualis X T, & X V ipsi L K; erit proinde N M æqualis duabus simul V X, X T, vel ei quo V X ipsam X T superat. Atque adeo, si data fuerit ratio V X ad X T, data quoque erit ratio V X ad utramque simul V X, X T, vel ad excessum V X supra X T, hoc est, data erit ratio V X sive L K ad N M.

Sciendum est autem, quoniam K T ipsi K M, & L V ipsi L N, æquales sumptæ sunt, locum punctorum T, V, fore lineam quandam vel rectam vel curvam datam, ut mox ostendetur. Et siquidem sit linea recta; ut contingit si A B F coni sectio fuerit, & K L axis ejus; constat rationem V X ad X T datam fore, data positione ipsius lineæ V T, quæ locus est punctorum V, T; semperque eandem tunc haberi dictam rationem, qualecunque fuerit intervallum K L. DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

At si locus alia linea curva fuerit, diversa erit ratio V X ad X T, prout majus minusve fuerit intervallum K L. Inquirendum est autem quaenam futura sit ista ratio, cum K L infinite parvum imaginamur, quoniam & puncta B, F, proxima invicem posuimus. Similiter itaque & puncta V, T, lineae curvae minimam particulam intercipere intelligendum est; unde recta V T, cum ea quae in T curvam contingit, coincidet. Sit ergo tangens illa T Y; potest enim duci quoniam curva, ad quam sunt puncta T, V, geometrica est. Ratio igitur Y K ad K T data erit, adeoque & V X ad X T. ex qua etiam rationem L K ad N M dari ostendimus.

Quaenam vero sit linea ad quam sunt puncta T, V, invenitur ponendo certum punctum S in recta K L, & vocando S K, x; K T, y. Nam quia data est curva A B F, eique B M ad angulos rectos ducta, invenietur inde quantitas lineae K M, per methodum tangentium à Cartesio traditam, quae ipsi K T, sive y aequabitur, & ex ea aequatione, natura curvae T V innotescet, ad quam deinde tangens ducenda est. Sed clariora omnia fient sequenti exemplo.

Sit A B F paraboloides illa, cui superius rectam aequalem invenimus; in qua nempe cubi perpendicularium in rectam S K, sint inter se sicut quadrata ex ipsa S K abscissarum. Et oporteat invenire curvam C D E cujus evolutione paraboloides S B F describatur.

Hic primum ratio B O ad B P facile invenitur, quia tangentem paraboloidis in puncto B duci scimus, sumpta S H aequali $\frac{1}{3}$ S K. Cui tangenti cum B M ad angulos rectos insistat, dantur jam lineae M H, H K, ac proinde earum inter se ratio, quae est eadem quae O B ad B P.

Vt autem ratio B P, sive K L ad M N innotescat, ponantur ad K L perpendiculares rectae K T, L V, aequales singulis K M, L N, sitque V X parallela L K. Iam quia ex duabus simul K L, L N, auferendo K M, relinquitur M N; hoc est, auferendo ex duabus X V, V L, sive X V, X K, ipsam K T; hinc autem relinqui apparet V X & X T: erunt igitur hae duae V X, X T ipsi M N aequales, ac proinde ratio K L ad M N eadem quae V X ad duas simul V X, X T. Vt autem haec ratio innotescat cum intervallum K L est minimum; oportet secundum praedicta inquirere quis sit locus, sive linea ad quam sunt puncta T, V. Quod ut fiat sit latus rectum paraboloidis A B F ∞ a; S K ∞ x; K T ∞ y.

Quia igitur proportionales sunt K H, K B, K M, estque H K ∞

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

$\frac{3}{2}x$:KB ex natura paraboloidis æqualis R. cub. $aax \infty y$: fiet KM, hoc est KT ∞ $\frac{2}{3}$ R. cub. $aax \infty y$, ac proinde $\frac{8}{27}aax \infty y^3$. Vnde patet locum punctorum T, V, esse paraboloidem illam, quam cubicam vocant geometræ. Cui proinde ad T tangens ducetur, sumptâ SY duplâ ipsius SK, junctâque YT. Et jam quidem ratio VX ad duas simul VX, XT, quam diximus eandem esse ac KL ad MN, erit ea quæ YK ad utramque simul YK, KT. Hæc autem ratio data est, ergo & ratio KL ad MN. Sed & rationem OB ad PB datam esse ostensum est. Ergo, cum ex duabus hisce componatur ratio BD ad DM, ut supra patuit, dabitur & hæc; & dividendo, ratio BM ad MD; adeoque & punctum D in curva DE.



Ad constructionem autem brevissimam hoc pacto hic perveniemus. KT sive KM dicta fuit y. Itaque MH erit $y + \frac{3}{2}x$. Et MH ad HK, sive OB ad BP, ut $y + \frac{3}{2}x$ ad $\frac{3}{2}x$. sive, sumptis omnium duplis, ut $2y + 3x$ ad $3x$. Deinde quia YK ∞ $3x$, erit YK ad YK + KT, sive per prædicta, KL ad MN, ut $3x$ ad $3x + y$. Atqui ex rationibus OB ad BP, & KL ad MN, componi diximus rationem BD ad DM. Ergo ratio BD ad DM erit composita ex rationibus $2y + 3x$ ad $3x$, & $3x$ ad $3x + y$; ideoque erit ea quæ $2y + 3x$ ad $3x + y$. & dividendo, ratio BM ad MD, eadem quæ y ad $3x + y$.

Sit SZ perpendicularis ad SK, eique occurrat MB producta in Z.

Quia ergo ratio B M ad M D inventa est ea quæ y ad $y + 3x$, hoc est quæ M K ad M K + 3 K S. Sicut autem M K ad M K + 3 K S, ita M B ad M B + 3 B Z: erit proinde M B ad M D ut M B ad M B + 3 B Z. Unde liquet M D æqualem sumendam ipsi M B + 3 B Z. Atque ita quotlibet puncta curvæ C D E invenire licebit. Cujus curvæ portio quælibet ut D S, rectæ D B, quæ paraboloidi S A B ad angulos rectos occurrit, æqualis erit. Constat autem geometricam esse, & si velimus, possumus æquatione aliqua relationem exprimere punctorum omnium ipsius ad puncta axis S K.

Simili modo autem, si inquiramus in paraboloide illa sive parabola cubica, in qua cubi ordinatim applicatarum ad axem, sunt inter se sicut portiones axis abscissæ, inveniemus curvam cujus evolutione describitur, quæque proinde rectæ lineæ æquari poterit, nihilo difficiliori constructione per puncta determinari. Nam si fuerit illa S A B; axis S M; (dicitur autem improprie axis in hac curva, cum forma ejus sit ejusmodi, ut ductâ S Z, quæ secet S M ad angulos rectos, ea portiones similes curvæ habeat ad partes oppo-



sitas;) agatur per punctum quodlibet B, in paraboloide sumptum, recta B D, quæ curvam ad angulos rectos secet, axique ejus occurrat in M, rectæ vero S Z in Z. Deinde sumatur F D æqualis dimidiæ B M, unà cum sesquialtera B Z. Eritque D unum è punctis curvæ quæsitæ R D vel R I, cujus evolutione, juncta tamen recta quadam R A, describetur paraboloides S A B. Sunt autem hic, quod notatu dignum est, quodque in aliis etiam nonnullis harum paraboloidum contingit, duæ evolutiones in partes contrarias, quarum utraque à puncto certo A initium capit; ita ut evolutione ipsius A R D, in infinitum porro continuata, describatur paraboloidis pars infinita A B F; evolutione autem totius F H K, similiter in infinitum extensæ, tantum particula A S. Punctum autem A definitur, sumptâ S P quæ sit ad latus rectum paraboloidis, sicut unitas ad radicem quadrato-quadraticam numeri 91125, (is cubus est ex 45) applicatâque ordinatim P A. Unde porro punctum R, confinium duarum curvarum R D, R I, invenitur sicut cætera omnia harum curvarum, hoc est, sicut punctum D modo inventum fuit.

Denique, quæcunque fuerit ex paraboloidum genere curva S A B, semper æque facile curvam aliam, cujus evolutione ipsa describatur, quæque propterea rectæ adæquari possit, per puncta inveniri comperimus. Atque adeo constructionem universalem sequenti tabella exhibemus, quæ quousque libuerit extendi poterit.

$$\text{Si} \left\{ \begin{array}{l} ax \infty y^2 \\ a^2x \infty y^3 \\ ax^2 \infty y^3 \\ ax^3 \infty y^4 \\ a^3x \infty y^4 \end{array} \right. \text{ Erit } \left\{ \begin{array}{l} BM + 2\,BZ \\ \tfrac{1}{2}BM + \tfrac{3}{2}BZ \\ 2\,BM + 3\,BZ \\ 3\,BM + 4\,BZ \\ \tfrac{1}{3}BM + \tfrac{4}{3}BZ \end{array} \right\} \infty BD.$$

Sit S B parabola, vel paraboloidum aliqua, cujus vertex S; recta S K vel axis, vel axi perpendicularis, ad quam referuntur æquatione puncta paraboloidis; & ipsa quidem S K semper ad partem cavam ducta intelligitur; cui perpendicularis S Z. Ponendo jam S K ∞ x;



B K ∞ y, quæ à puncto quovis curvæ perpendicularis est ipsi S K; & latere recto curvæ ∞ a; prior pars tabellæ, quæ ad sinistram est, naturam singularum paraboloidum singulis æquationibus explicat. Quibus respondent in parte dextra quantitates lineæ B D, quæ si curvæ S A B insistat ad angulos rectos, exhibitura sit punctum D

in

in curva quæſita C D. Exempli gratia, ſi S B eſt parabola quæ ex coni ſectione fit, ei ſcimus convenire æquationem tabellæ primam, $ax \propto y^2$; cui reſpondet ab altera parte B M + 2 B Z ∝ B D. Vnde longitudo lineæ B D cognoſcitur, adeoque inventio quotlibet punctorum curvæ C D. Quam quidem, hoc caſu, paraboloidem eſſe ſupra demonſtratum fuit, eam nempe, cujus æquatio tertia eſt hujus tabellæ.

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

Conſtruitur autem tabella hoc pacto, ut B M ſumatur multiplex ſecundum numerum qui eſt exponens poteſtatis x in æquatione; B Z vero, multiplex ſecundum exponentem poteſtatis y; ex his autem utriſque compoſitæ accipiatur pars denominata ab exponente poteſtatis a.

Præter haſce autem paraboloides lineas, alias item invenimus, à quibus, non abſimili conſtructione, deducuntur curvæ rectis comparabiles. Aſſimilantur autem hyperbolis, eo quod aſymptotos ſuas habent, ſed tantum angulum rectum conſtituentes. Et harum primam quidem ſtatuimus hyperbolam ipſam, quæ eſt è coni ſectione.



Reliquarum vero naturam ut explicemus; ſunto P S, S K, aſymptoti curvæ A B, rectum angulum comprehendentes, & à curvæ puncto quolibet B ducatur B K parallela P S, ſitque S K ∝ x; K B ∝ y. Si igitur hyperbola ſit A B, ſcimus rectangulum linearum S K, K B, hoc eſt, rectangulum xy ſemper eidem quadrato æquale eſſe, quod vocetur aa.

Proxima vero hyperboloidum erit, in qua ſolidum ex quadrato

DE LINEARUM CURVARUM EVOLUTIONE.

lineæ S K, in altitudinem K B ductum, hoc est, solidum $x\,xy$, cubo certo æquabitur, qui vocetur a^3. Atque ita innumeræ aliæ hujus generis hyperboloides existunt, quarum proprietatem sequens tabella singulis æquationibus exhibet, simulque rationem construendi curvam D C, cujus evolutione quæque generetur.

$$\text{Si} \left\{ \begin{array}{l} xy \propto a^2 \\ x^2y \propto a^3 \\ xy^2 \propto a^3 \\ x^3y \propto a^4 \\ xy^3 \propto a^4 \end{array} \right. \quad \text{Erit} \left\{ \begin{array}{l} \tfrac{1}{2}\,BM + \tfrac{1}{2}\,BZ \\ \tfrac{2}{3}\,BM + \tfrac{1}{3}\,BZ \\ \tfrac{1}{3}\,BM + \tfrac{2}{3}\,BZ \\ \tfrac{3}{4}\,BM + \tfrac{1}{4}\,BZ \\ \tfrac{1}{4}\,BM + \tfrac{3}{4}\,BZ \end{array} \right\} \propto BD.$$

Recta D B M Z curvam A B, ut antea quoque, secat ad angulos rectos, occurritque asymptotis S K, S P, in M & Z. Si igitur exempli gratia hyperbola fuerit A B, cujus æquatio est $xy \propto a^2$, sumetur $BD \propto \tfrac{1}{2}\,BM + \tfrac{1}{2}\,BZ$, quemadmodum tabella præcipit. Eritque punctum D in curva D C quæsita, cujus alia quotlibet puncta sic inveniri poterunt, & portio ejus quælibet rectæ lineæ adæquari. Et hæc quidem eadem illa est curva, cujus relationem ad axem hyperbolæ superius æquatione expressimus. Constructio autem tabellæ hujus plane eadem est quæ superioris.

Cæterum, quoniam tum ad harum curvarum, tum ad earum quæ ex paraboloidibus nascuntur constructionem, ducendæ sunt lineæ D B Z, quæ ad datum punctum B secent curvas A B, sive ipsarum tangentes B H, ad angulos rectos; dicemus in universum quomodo hæ tangentes inveniantur. In æquatione itaque, quæ cujusque curvæ naturam explicat, quales æquationes duabus tabellis præcedentibus exponuntur, considerare oportet quæ sint exponentes potestatum x & y, & facere ut, sicut exponens potestatis x ad exponentem potestatis y, ita sit S K ad K H. Juncta enim H B curvam in B continget. Velut in tertia hyperboloide, cujus æquatio est $xy^2 \propto a^3$: quia exponens potestatis x est 1, potestatis autem y exponens 2; oportet esse ut 1 ad 2 ita S K ad K H. Horum autem demonstrationem noverunt analyticæ artis periti, qui jam pridem omnes has lineas contemplari cœperunt; & non solum paraboloidum istarum, sed & spatiorum quorundam infinitorum, inter hyperboloides & asymptotos interjectorum, plana solidaque dimensi sunt. Quod quidem & nos, facili atque universali methodo, expedire possemus, ex sola tangentium proprietate sumpta demonstratione. Sed illa non sunt hujus loci.